

I. N. 7.

PROMISSIONES VI-
TÆ ÆTERNÆ IN VETERI
TESTAMENTO,

Adversus

Photinianos, Arminianos, eorundemq; Sectatores, è
Scripturæ S. testimoniis assertæ ac demonstratæ,

Quas
PRÆSIDE
VIRO

SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DN. ABRAHAM CALOVIO,

SS. Theol. D. ejusdemq; in Academia Wittebergenſi P. P.

Primario Famigeratissimo, Pastore ibidem vigilantissimo, Conſi-
storii Aſſeſſore Gravissimo, & Circuli Elector. Saxon. Superintendente
Generali Eminentissimo, p. t. DECANO
ſpectatiſſimo,

*Domino ſuo Præceptore atq; Patrono filiali obſer-
vantiâ eternum devenerandò,*

In Inclÿta ad Albim Academia
P. P.

M. JOHANNES JACOBUS Cramer/
LIPSIENSIS.

*Ad d. V. Novembr. Anno M. DC. LXXVIII.
H. L. Q. C.*

WITTEBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

H.

H. L. Q. C.

Coll. diss. A
154, 18

244. A. 154 (18)



I. N. J.

DISSERTATIO

De

PROMISSIONIBUS VITÆ Æ-
TERNÆ IN VETERI
TESTAMENTO,

PROOEMIUM.



T eadem fuit Patrum Veteris Testamenti fides cum nostrâ Act. XV. v. 11. Ephes. IV. v. 5. I. Tim. II. v. 5. ; sic illis non minùs promissa fuit atqve revelata Vita æterna , quàm Christianis in Novo Testamento [1.] Quod ipsum quamvis multa sole meridianò clariora Scripturæ cum V., tum N. T. loca confirment atq; evincant, negatur tamen, ut nemini est obscurum , à Photinianis [quod nomen primùm à *Photinò*, Sirmiensis Ecclesiæ in Pannoniâ inferiore Presbytero se c.

A 2

IV.

IV. à N. C. acceperunt, appellati postmodum
etiam à *Fausto Socinò Sociniani*, ut & *Samosa-*
teniani à *Paulò Samosateno*, atq; *Novi-Ariani*
ab *Ario*] atq; *Arminianis* [sic à *Jacobo Armi-*
nio, vel *Hermann/ Veteraque*, Professore
Theologo in *Academia Leidenſi*, dictis] [2.]
Cum quibus in easdem inflant tibias *Hugo Gro-*
tius, & *D. Georgius Calixtus*, ejusq; aſſeclæ.
Quamquam enim *Calixtus* non faciat cum di-
ctis *Adverſariis* in hoc, quòd in totò *V. T.* piis
Vitam æternam promiſſam non fuiſſe ſtatuat,
in quò ab illis diſcrepare aliquantum videtur:
ſufficit tamen, quòd pollicem iisdem premit
quà negationem factæ promiſſionis in *Pactò*
Mofaicò, adeoq; cum iis facere, erroremque
fovere *Photinianum* atq; *Arminianum* adhuc
rectè cenſetur. Nam qui in *V. T.* nullam *Vi-*
tæ æternæ promiſſionem haberi ajunt, illi ne-
que in *Pactò Mofaicò* aliquam contineri con-
cedunt; cum à totò ad partem negativè valeat
conſequentia. Sed prius dicunt *Photiniani*
& *Arminiani*. [3.] Horum verò ſententiam, per-
quam

quam erroneam ac falsam, in præsentî confu-
 taturi, quæstionisq; hujus, an videl. piis in *V. T.*
 Vita æterna revelata fuerit atq; promissa? af-
 firmativam, quæ Orthodoxorum est, cum iis-
 dem pro ingenii modulô adstructuri, ita pro-
 cedemus, ut, explicatis primò quæsitî terminis,
 & legitimè formatô controversiæ statu, Or-
 thodoxâ dein sententiâ munitâ argumentis è
 Scripturæ S. Oraculis, vel aliundè quoque, si
 fieri poterit, conquisitis, percenseamus non
 tantùm dogmata Adversariorum, sed & con-
 futemus argumenta, quibus illi suæ sententiæ
 fidem adhibere conantur. Quatuor igitur
 Disputatio hæc nostra continebit partes,
 1.) Ἐκθεσιν; (2.) Κατάθεσιν; (3.) Ἀντίθεσιν & (4.) Διάλυσιν;
 Summum, quod omnia moderatur, Numen
 benedicat piis nostris conatibus ex altô!

1.) *Conf. B. MEISNERUS Consider. Theol. Photin. Cap. V. Artic. VI. p. 745 seqq. ubi ex professo tractat thema de unâ eademq; fide ac modô justificationis in V. & N. T. Adde B. LYSERUM Trifol. Relig. vere in V. T. Disput. I. §. XXI. seqq. p. 10. seqq.*

2.) *Vid. B. KROMAYER. Scrutin. Relig. Disp. VII. P. I. thes. 2. 3. 8. 9. 49. & 50. Disp. VIII. P. I. Thes. I. & 48.*

3.) *Quæ contra Calixtum juniorem, negantem esse errorem Photinianum, in Pacto Mosaicô non fuisse promissam Vitam*

æternam, & propterea, minus rectè Parenti suo B. GERHARDUM opposuisse Magnif. Dn. D. Præsidentem Harmoniæ Calixt. Hæret. dicentem, quoniam hic (B. Gerhard.) de totò Veteri Testamento, ille verò (D. Georg Calixtus) de pacto tantùm Mosaicò loquatur, observat Huldrich Gottfried scriptò, quò monstratur, dictam Magnif. D. Præs. Harmon. Calixt. Hæret. per duo novissima Calixti Junioris scripta, Officii pietatis, ac Discussionis nebularum, adhuc esse invado, *Quest. 8. §. 4. p. 80. seq.*

PARS I.

I. ΕΝΘΕΣΙΣ.

In quâ notanda occurrunt sequentia.

Observ. I. Pacta sive Testamenta duo esse, quorum unum Vetus, alterum appellatur Novum, Apostolus Paulus perspicuè docuit in cap. VIII. Hebr. & ex Jerem. XXXI. v. 31. declaravit, ubi non unius, sed duorum distinctòrum Testamentorum Fœderalium, Novi videlicet, & Prioris seu Veteris expressa facta fuit mentio a): non quidem quasi ideò duplex vel diversa religio, vel alia atque alia salutis ratio aut fides salvifica sit; sed quia dispositionem aliam circa religionem & fidem pro diversi populi & temporis ratione ante Christum exhibitum, & post ejusdem exhibitionem adhibere divinæ sapientiæ placuit. b.)

a.) *Conf. B. BALDUINUS Comment. in Epist. ad Hebr. c. III. Thes. III. ex cap. cit. p. m. 1565. a. Adde Dn. D. QVENSTEDT. Disput. de Differ. & Convenientiâ V. & N. T. Thesium Fund. I.*

b.) *Vid. Magnif. Dn. D. PRÆSES, Patronus & Præceptor filiali cultu prosequendus, Bibl. Illustr. Tom. II. Annot. ad c. VIII. v. 13. Ep. ad Hebr. p. 1285. N. VIII.*

Obs. II. Vetus Testamentum licet promissiones temporales de multiplicatione seminis, de possessione terræ Canaan, de protectione atq; victoriâ ab hostibus, de longâ & valente senectâ, deq; aliis ejusmodi rebus temporalibus, habuerit annexas; Spirituales tamen de rebus spiritualibus ac æternis, ut de futuro

turò

turò Mesfià , de Vitâ æternâ &c. non penitùs fuerunt exclu-
sæ c).

c.) *Vid.* B. KROMAYER. *Scrutin. Relig. Disput. VII. Tb. 62.*
p. 182.

Obs. III. Sicut enim salus seu Vita æterna, utpote finis,
communis est piis V. ac N. Test., ita quoque media ad finem du-
centia utrisque fuere communia, inter ea verò est ex parte DEI
promissio Vitæ æternæ propter Mesfiàm dandæ, & ex parte ho-
minum fides oblata bona recipiens. Positò namque fine, ponun-
tur media essentialiter ad finem requisita d).

d.) *Conf.* B. GERHARD. *Loc. Theolog. Tom. ult. de Vitâ æter-
nâ Cap. II. §. 32. p. m. 780.*

Obs. IV. Et hæc revelatio promissionis utique fuit neces-
saria. Quandoquidem fundamentum fidei & spei, quam concipi-
unt pii de Vitâ æternâ, pietatis præmiò, est promissio DEI, quæ
mentiri non potest Tit. I. v. 2. Hebr. VI. v. 18. Huic innixi inter tot
miserias hujus mundi Vitam æternam confidenter expectant e).
Quæ enim ratione aliàs in omnibus vitæ hujus adversis, cum pri-
mis verò in agone mortis pii Veteris Testamenti sese erigere ac
sustentare potuissent, si nulla ipsis beata Vita post hanc fuisset
promissa & revelata f).

e.) *Conf.* B. GERHARD. *l. c. §. 31. p. m. 778.* B. BALDUIN.
Comment. in Cap. V. Ep. ad Rom. Quest. III. p. m. 98. Col. 2.
in Epist. ad Tit. Aphor. 7. ex prim. part. Cap. I. p. m. 1470.
Col. 1. item in Epist. ad Hebr. Disput. XIII. Thes. 1. ex 3. part.
cap. XI. p. m. 1635. f.) *Vid.* Magnif. Dn. D. PRÆSES *Bibl.*
Illustr. Tom. II. in Cap. II. v. 12. Ephes. p. 679. b.

Obs. V. Vitam æternam promissam esse etiam in N. T. per
Christum non negamus, sed ex eò inferri nequit, in Veteri Test.
eam fuisse prorsus incognitam, nec similiter promissam g). *Ab*
inclusivâ enim ad exclusivam, non valet affirmatio seu consequentia
in prædicatis scilicet inadæqvatis: vel ab inclusione unius non
potest procedi ad exclusionem alterius eidem subordinati, ut do-
cetur in Logicis b). Sic non sequitur, homo est animal, est mor-
talis &c. Ergò solus talis est. Electi sunt vocati, ergò soli Electi.

g.) *Vid.*

g.) *Vid.* B. GERHARD. *loc. alleg.* §. 32. p. m. 780. B. MEISNER. *Consider. Theolog. Photin. Cap. V. Artic. VII. p. 803.*
h.) *Conf.* CHRISTIAN. NOLDIUS *Log. Recogn. Cap. XIII. Num. XVI. Axiom. II. p. 788.*

Obs. VI. Nec diffitemur, id beneficiô Evangelii factum esse, & *ὑπόκειται* ac propriè ad Novum Testamentum pertinere, quod si in Veteri Testamento Vita & salus æterna, ut asseruimus, prædicata & promissa fuit. Quemadmodum omnia, quæcunque de Christo, ejusq; beneficiis spiritalibus in V. Test. docentur, non tam ad illud Vetus, quàm ad Novum Testamentum propriè pertinent, licet in Illô *δευτέρως* & quoad doctrinam reperiantur. Vetus namque Testamentum Legem, Novum Evangelium docet i). Ubicunque autem reperiuntur promissiones gratiæ, aut doctrina de Christo, ibi verè Evangelium docetur, sive id fiat in V. Test., sive in Novo, inquit B. Lùtherus.

i.) *Conf.* B. BALDUIN. *Commentar. in Epist. II. ad Corinth. Cap. III. Quest. III. p. m. 604. Item in Epist. ad Hebr. Aphor. IX. & XVI. ex prior. part. Cap. III. Disput. IV. pag. 1565. & 1566.*

Obs. VII. Vocabulum promissionis est ambiguum: Promissio enim aliquando accipitur per *Metonymiam* consequentis pro antecedente, seu effectus pro Causâ, pro decretô promissionis æternô, quod videlicet Deus ab æternô de salute nostrâ fecit in Filiô; aliquando *pro ipsâ promissione revelatâ*. Priori sensu sumitur Epist. ad Tit. I. v. 2., ubi ita ait Apostolus: *In spe Vitæ æternæ, quam promisit, i. e. promittere decrevit, is qui mentiri nescit DEUS, ante tempora secularia k)*: Posteriori hóc locô.

k.) *Conf.* B. BALDUIN. *in b. l. Quest. IIX. p. m. 1469. a.*
Item B. WALTHERUS Harmon. Bibl. in b. l. p. 1251. seq.
& Magnif. D. PRÆSES Bibl. Illustr. in b. l. Tom. II.

Obs. IIX. Nec unô eodémq; modô in S. Codice accipitur Vita æterna, imprimis verò dupliciter sumitur, vel *propriè*, vel *Metonymicè*. I. *Propriè* pro felicissimô & gloriosô piorum statu ac beatissimâ ipsorum sorte, in quâ post hujus Vitæ decursum constituti, eâdem fruuntur in æternum Joh. III. v. 16. Tit. III. v. 7. &c. II. *Metonymicè* [i.] pro ipso Christo, Vitæ æternæ Autore ac Datore

tore 1. Joh. I. v. 2. Cap. V. v. 20.; qui dicitur Vita æterna, (quod obiter hinc notamus,) non secundum alterutram duntaxat, ut Calviniani quidam disputant, sed secundum utramque naturam. [2.] Pro *Via Vita æterna*, i. e. pro ratione ac modo ad cœlestem gloriam perveniendi, seu pro salvificâ notitiâ, juxta dictum Joh. XVII. v. 3. l). In præsentî quæritur de Vitâ æternâ acceptâ propriè, an ea Patribus V. Test. fuerit promissa ac revelata?

l.) *Conf. B. GERHARD. Tom. ultim. Cap. I. §. 6. & 7. p. 716. seqq. & D. CUNDISIUS Observ. ad Compend. B. Hutteri Loc. 34. Quest. I. §. 2. p. 1380.*

Obs. IX. Vox itidem Veteris Testamenti est *πρόσθησις*; nam accipitur (1.) *Propriè* pro fœdere istò Legali cum Israëlitis initò. (2.) *Latè* pro statu Ecclesiæ ab exordio Mundi usque ad Meschiæ in carnem adventum, sive pro tempore Novi Testamenti adimplerionem antecedente. (3.) *Metonymicè* pro Codice & Libris Sacris Canonicis istò tempore consignatis, sive pro Scriptis Mosis & Prophetarum, aut pro doctrinâ in illis contentâ; quò sensu nomen Veteris Testamenti usurpatur II. Corinth. III. v. 14. m). Vitam æternam promissam fuisse ac revelatam in Veteri Testam. non solùm his duobus posterioribus respectibus asserimus, sed etiam priori, prout videlicet pro Pacto Legali vel Mosaico sumitur Vetus Testamentum. Ut status controversiæ sit hic: An in Fœdere Legali & in Libris Canonicis V. Test. tempore V. Testam. promissiones Vitæ æternæ sint factæ?

m.) *Conf. B. BALDUIN. Comment. in Ep. ad Hebr. Diss. IV. Aphor. II. ex prior. part. Cap. III. p. m. 1565. a. B. LYSERUS Trifol. Verae Relig. Disput. III. Aphor. I. Part. Special. p. 82. B. DORSCHHEUS Theol. Zachar. Dissertat. II. §. 43. pag. 41. Magnif. Dn. D. PRÆSES tùm in Bibl. Illustr. Tom. II. Annot. in Cap. VIII. ad Hebr. Not. V. p. 1285. b. tùm in System. Theol. Tom. V. Cap. VI. de Discrimine V. & N. Pacti. p. 486. & D. QVENSTED. Disput. de Discrim. & Conven. V. & N. Test. Thes. I. Obs. VIII.*

Obs. X. Hinc etiam quando Nostrates Photinianos profligandò disputant, in V. T. piis Vitam æternam promissam omninò fuisse, Pactum Mosaicum nullatenus excludendum volunt; etsi

B

no

nominatim Pactum Legale non commemorent, imprimis cum hoc primas ibi teneat n).

n.) *Observat hoc contra Calixtum Juniolem Autor Scripti in Proœmio num. 3. allegati p. 81.*

Obf. XI. Alia tamen est quæstio, an Pactum Mosaicum habeat promissionem Vitæ æternæ, per quam Patres V. T. hæreditatem cœlestem actu consequi potuerint? alia, an nullam planè promissionem Vitæ æternæ contineat Pactum Legale? Prius omninò negandum est, nec hìc loci in controversiam venit; sed hoc; an in Pacto Legali seu Mosaicò habeatur promissio Vitæ æternæ o)? Hoc est, quod in præsentì contra Socinianos, Arminianos, Grotium & Calixtinos asseveramus.

o.) *Vid. Scriptum Observ. præced. alleg. §. 6. p. 83. seq. Quæst. cit.*

Obf. XII. Differunt quidem promissiones Novi Testamenti, à Vet. Test. promissionibus, iisdemq; præstant, sed non ratione *objecti*, vel *boni promissi*, quasi promissiones V. T. nequaquam fuerint ἐπαγγελία Vitæ æternæ, sed solùm terrenis aliorumq; bonorum terrenorum promissiones; utrobique enim, & in V. & N. Test., res terrenæ & cœlestes promissæ sunt: verùm partim ratione *conditionis requisitæ*, partim ratione *efficaciæ*, partim quoque ratione *modi proponendi*. Ratione *conditionis requisitæ*, quoniam promissiones Veteris Testamenti fuerunt *conditionales*, h. e. factæ fuerunt sub conditione perfectæ observantiæ Legis Levit. XVIII. v. 5., quæ post lapsum hominibus est impossibilis Rom. VIII. v. 3: promissiones verò Novi Testamenti sunt *gratuitæ*, quibus Vita æterna, absque ejusmodi conditione, promittitur gratis propter meritum Christi, modò fide id apprehendamus, conferenda Galat. III. v. 11. Ratione *efficaciæ*, quia Lex solùm promisit obedientibus vitam, vires autem obsequendi nec promisit, nec dedit: Evangelium verò non solùm credentibus pollicetur Vitam, sed etiam vires credendi affert, quum Spiritus S. & fides per Evangelium obtineatur. Ratione *modi proponendi*, vel ratione *evidentiæ ac majoris claritatis*, quâ ea promissa in Novo Testamento sunt promulgata; quia scilicet promissiones Veteris Testamenti pleræque sub involucribus, typis ac figuris fuere propositæ; Novi autem

autem

autem Testamenti longè luculentius ac magis perspicuè sistuntur ac proponuntur, nudæ, & umbrarum Leviticarum vacuæ p). Addit B. Feuerbornius q) & B. Balduinus r), Novum Testamentum præstantiores & meliores habere promissiones propter *Messiam exhibitum*, qui Ipsemet in Novo Testamento promissiones ex sinu Patris protulit, proposuit, & exposuit, Johann. I. vers. 17. ; tempore autem Veteris Testamenti nondum fuit exhibitus, sed demum exhibendus.

p.) Conf. B. BALDUIN. *Comment. in Cap. VI. Epist. i. ad Timoth. Quest. V. p. m. 1375.* B. MEISNERUS *Consider. Theol. Photin. Cap. V. Art. VII. p. 804.* B. FEUERBORN. *Opp. Theol. Syntagm. II. Disp. IV. § 25. p. 1495.* Magnif. Dn. D. PRÆSES *Bibl. Illustr. Tom. II. Annot. in Hebr. cap. VIII. v. 6. p. 1273. item Harmon. Calixtin. Hæret. Cap. IX. §. XV. pag. 1097. seq. Dn. D. QVENSTED. Disput. alleg. Thes. II. Observ. 7. q.) l. c. r.) loc. alleg.*

Obs. XIII. Meliores autem sive præstantiores Novum, & Vetus Testamentum contra non tam bonas vel eximias continere promissiones probat Apostolus Hebr. VIII. v. 6. & 7. *Nunc vero, inquit, hoc excellentius sortitus est ministerium, quò præstantioris est Testamenti Intercessor, quod in præstantioribus promissis sancitum est. Nam si prius illud fuisset ἀμυστηλον, hoc est tale, in quò nihil desiderari possit, quantum ad effectum, haudquamquam fuisset secundo quæsitus locus, Evangelico nempe sive Novo. Notanter addidi quoad effectum. Non enim negat Paulus, ἀμυστηλον fuisse in se, quemadmodum Manichæi abusi hòc locò docuerunt, quòd Vetus Testamentum à malò Deò profectum, & reprehensibile sit; sed ratione nostri & quoad effectum in hoc statu hominis post lapsum: partim quia non continuit verum illud sacrificium propitiatorium, sed tantum ejus typos & umbras, unde & perfectionem homini conferre non potuit; partim quia homines ad observationem Legis in Veteri Testamento latæ, non sufficiebant, ac proindè aliò opus erat fœdere DEI cum hominibus, in quo non ageretur cum homine ex Lege, sed ex gratiâ s).*

s.) *Vid. Magnif. Dn. D. PRÆSES Bibl. Illustr. loc. ante cit. cit. pag. 1274. adde B. BALDUIN. Comment. in Hebr. loc. cit. Disput. X. Thes. IX. ex poster. part. text. p. m. 1608. b.*

Obs. XIV. Diximus ante Observ. XII., multò clariùs & luculentiùs in Novo Testamento bona spiritualia exponi & proponi, quàm in Veteri. Quò ipsò nequaquam, Legem Mosaicam, nedum totum Vetus Testamentum solùm umbras meras habuisse, non ipsa bona spiritualia & cœlestia Veteribus fuisse proposita & declarata, Socinianis & Calixtinis admittimus. Et quanquam dicatur *Lex umbram habuisse futurorum bonorum*, Hebr. X. v. 1. non tamen id dicitur, quòd Veteribus non ipsa bona, sed solummodò meræ umbræ fuerint propositæ; sed quòd typi, sacrificia, purificationes Leviticæ, & id genus alia figuræ & umbræ quædam fuerint formæ expressæ, quam sub Novo Testamento habemus: præter quas verò non solùm in Psalmis & Prophetis, sed etiam in ipsa Lege Mosaicâ non pauca oracula de CHRISTO, Ejusqve beneficiis reperiuntur, eaqve satis luculenta r).

t.) *Vid. Magnif. Dn. D. PRÆSES Harmon. Calixt. Hebr. l. cit. §. XX. & XXIII. p. 1103. & 1105. item Bibl. Illustr. Annot. in Hebr. c. X. v. 1. p. 1323.*

Obs. XV. Quantum ad conditionem illam perfectæ obedientiæ Legi præstitæ, sub qua in Pacto Legali sive Mosaico Vitam æternam fuisse promissam dictum est, licet illa post lapsum sit impossibilis, quoniam jam in statu corruptionis nemo perfectè Legem implere potest; non tamen propterea tota illa promissio conditionalis seu Legalis fuit prorsus frustranea & irrita. Etenim illi conditioni homines quidem erant impares, non tamen inutiliter proponebatur, *ut suæ imbecillitatis convicti ad DEI misericordiam confugerent, cujus promissiones per fidem in CHRISTUM venturum apprehenderunt Patres, qui sub Lege constituti ad CHRISTI justitiam se converterunt u).* Deinde illa conditio, Legis obedientia perfectissima & strictissima, etsi hominibus jam in statu lapsus sit impossibilis; fuit tamen aliquandò possibilis in statu integritatis, ubi primis nostris Parentibus,
ac

ac in illorum personâ etiam posteris, facultatem implendi Legem dedit DEUS atqve concessit x]: Et cum Lex post lapsum hominibus impletu esset impossibilis, DEUS alium invenit modum, & misit Messiam, Filium suum Unigenitum, qui vice omnium hominum Legem implevit. Unde nec obedientia illa, Legi præstanda, post lapsum est simpliciter impossibilis. Quandoquidem quamvis non præstetur ea ab hominibus operando, vel faciendo: præstatur tamen in iisdem credendô in illum Messiam, qui τέλος τῆ νόμου, i. e. perfectio Legis Rom. X. v. 4. Quorsum respiciens Apostolus, Rom. VIII. v. 4. δικαίωμα τῆ νόμου, i. e. jus Legis in nobis non faciendô, sed credendô in Christum impleri dicit y].

u] Verba sunt Magnif. Dn. D. PRÆSIDIS System. Tom. I. p. 752. x] Conf. B. DIETERICI Instit. Catech. de Impletione Legis Quest. 6. p. m. 227. & B. D. KROMAYER. Theol. Pos. Polem. Artic. IX. p. 533. & Artic. XIII. p. 770. y] Videtur pluribus B. KROMAYER. II. c. 6.

Obs. XVI. Tandem promissiones DEI ordinatae, i. e. circa πράξεις divinitus inclusæ, possunt quidem fieri, atqve sæpè fiunt, factæqve sunt frustraneæ & irritæ; nequaquam tamen ex parte DEI, sed ex parte hominum tantum: quia fructus promissionum divinarum non rarò retardatur & avertitur per ἀπιστίαν humanam, utpote quæ obstat applicationi & appropriationi, sine quâ Verbum DEI homini non prodest Hebr. IV. v. 2. Sicut igitur homo per sua flagitia sequestret DEUM Es. LIX. v. 3., ita & fidem DEI, i. e. fidas seu fideles & constantes DEI promissiones, per eadem atrociam facinorosa, & ἀπιστίαν, i. e. perfidiam malitiosam, sibi ipsi potest κατὰργεῖν, i. e. inanem reddere [quæ phrasis habetur Rom. III. v. 3.] & salutari ejus fructu seipsum spoliare. Non verò ex parte & respectu DEI possunt aboleri & irritæ fieri per ἀπιστίαν hominum, quoniam DEUS ex suâ parte est, & esse semper vult constans & immutabilis in promissis suis servandis, utpote qui manet fidelis in æternum Rom. III. v. 3. 2. Tim. II. v. 13.; ac proindè promissiones Ipsius sunt immota & æterna veritas, neque unquam fieri possunt irritæ ex parte Ejus. De cæterò dixi studiò ordinatas promissiones DEI non posse irritas fieri per peccata atrociam &

ἀνσίαν hominum. Nam absolute DEI promissiones nullō mō-
dō possunt καταγεῖσθαι ἀνσίαν hominum, vel irritæ fieri, sive re-
spectu DEI, sive respectu hominum z].

z.] Vide de his, ut & dictō Rom. 3. alleg. B. FEUERBORN.
Opp. Theol. Fascic. II. Disp. VI. §. 40. & seqq. p. 275 & seq.
item §. 78. p. 286. B. BALDUIN Comment. in Rom. cit.
Quest. II. p. m. 54. a. & Apbor. XVI. ex poster. part. Cap. XI.
Epist. ejusd. p. m. 216. a.

PARS II.

II. Κατάθεσις

sive

Sententia Orthodoxæ Probatio &

Confirmatio.

Nimirum Vitam æternam piis ac fidelibus in Veteri Te-
stamentō promissam esse atq̄ve revelatam roboramus.

I. ARG.

I. Ex Protevangelio Paradisiacō Genes. III. v. 15, ubi inquit
DEUS: *Ipsūm* [semen videlicet mulieris] *conteret caput tuum*
[ō serpens]: In quō promissa est capitis serpentini per semen be-
nedictam vel Mesiam contritio. Hæc autem nihil aliud est,
quàm Diaboli potentia, sævitia & regni ejusdem enervatio ac
destructio, liberatio à morte æternâ, nec non justitiæ & Vitæ
æternæ reductio atq̄ve reparatio. Nam per הַנְּחִי, *semen ejus*,
[scil. mulieris], ad quod Relativum הַנְּחִי, *ipsūm*, referendum est,
nequaquam ad mulierem, cum הַנְּחִי *semen*, proximè antecedit, &
pronomen הַנְּחִי genere, quod Masculinum est, cum eō conveniat
הַנְּחִי, non totum genus humanum, sed potius solus Θεάνθρωπος
intelligitur, benedictus noster Μεσίτης καὶ ἰκέτης. Hic enim
καὶ ἑξ ὄχθης est filius mulieris, ex solâ matre natus sine Patre;
Hujus solūm est, non aliorum hominum, contere caput serpen-
tis, utpote quod opus divinæ solius virtutis & potentia; de hōc
Messiâ individualiter promissionem illam intellexit, Eva Genes.
IV. v. 1. idq̄; sic quoq̄; interpretantur ac specialius accommodant
Moses Genes. XXII. v. 18. c. XXVI. v. 4. c. XXVIII. v. 14. Petrus Act.
III. v. 25. & Paulus Galat. III. v. 19. Per *contritionem capitis ser-
pentis*

pentis denotatur Metaphoricè *Ἦρα Ἰερικῆ*, DEi virilis, Mediatoria, Meritoria, satisfactoria & victoriosa Diabolicae potentiae, saevitiae & regni infernalis enervatio & destructio, humani generis ex illo atque à morte aeternâ liberatio, cum iustitiae & Vitae aeternae reparatione, per Filii DEI incarnationem, passionem, mortem, totamque ipsius obedientiam &c. factam. Is enim solus torcular [irae divinae] calcavit Es. LXIII. v. 3. solusque est Mediator DEI & hominum 1. Tim. II. v. 5., & solus nobis promeruit peccatorum nostrorum remissionem & salutem aeternam Act. IV. v. 12. Cap. X. v. 43. Hebr. I. v. 3. c. IX. v. 12. Quod autem Metaphoricè, non propriè phrasim, *conterere caput serpentis*, accipi possit, constat; neque enim de serpente naturali, sed de infernali, vel Satana sermo est, corpore & capite carente: quia is primò Evam seduxit 2. Cor. XI. v. 3., & propter hanc seductionem poena ipsi denuntiatur in textu; dein DEus illum serpentem allocutus est, qui poterat articulate loqui, intelligere & pervertere mandatum divinum, quod autem de serpente naturali, animalculò istò rudi, nihil percipiente aut intelligente, dici & intelligi non potest. Metaphorica igitur est phrasim illa, à serpente naturali [in quâ Satanas, Evae Seducor, tùm latebat] deducta. In capite serpentis latet virus, robur & vita. Ergò *μεταφορικῶς* caput serpentis notat Diaboli potentiam, saevitiam & regnum. Si verò caput serpentis Metaphoricam habet significationem, potentiam, & omne quod in Diabolò excellens est, notans: utique contritio capitis serpentis Metaphoricè quoque ex vi oppositorum notabit illius potentiae destructionem &c.] Jam quod si contritio illa capitis serpentis, per Messiam promissa primis Parentibus, & in illis humano generi, nihil aliud est, quàm destructio regni Diabolici, redemptio ab irâ DEI & morte aeternâ, ac proinde hujus commutatio in beatam vitam, sequitur sub promissione feminis benedicti simul promissam esse aeternam beatitudinem humano generi, quam illud semen per conculcationem serpentini capitis acquisivit, adeoque etiam in V. T. Vitam aeternam revelatam ac promissam fuisse. Argumentum pro thesi confirmanda tale esse potest:

Quibus

Quibuscunqve promittitur liberatio à morte æternâ, illis utiqve promittitur Vita æterna. Atqvi Protoplastis, & in iis generi humano Genes. III. v. 15. promittitur liberatio à morte æternâ, propter contritionem serpentis. Ergò & Protoplastis, ac in illis humano generi promissa est Vita æterna, atqve sic utiq; promissiones Vitæ æternæ in V. T. factas esse necesse est.

Majoris connexio patet: inter mortem enim & Vitam æternam nullum est tertium vel status intermedius, quandoquidem Scriptura duorum tantùm meminit locorum, in quæ Animæ demortuorum transferuntur [1]; adeòqve illos, qui non pereunt, non moriuntur, vel in morte non manent, vivere ac in beatum statum transferri certissimum est.

Minor constat ex loc. Genes. cit. Ergò stabit Conclusio.

Neqve dubium est, primos Parentes illam revelationem vel promissionem salutem æternam concernentem, quàm diligentissimè secum retinuisse, cordi penitissimè inscripsisse, verum quoq; ejus sensum humillimè à DEO petiisse, & è doctos fuisse, eâ sese semper erexisse, & vi illius liberationem à morte æternâ, quam meruerunt per peccatum, ejusqve commutationem cum vitâ lætos expectasse, fideliter itidem eandem promissionem ad posteros propagatam fuisse, cum Noah vixerit 84. annos cum Enos, nepote Adami, [qui cum Adamò 695. annos vixit,] Abraham, cum Semò 209, & 57. annos cum ipsò Noah. Ideò enim tantam *ἀπογοβίοντα* concessit DEUS Opt. Max. Protoplastis, & ceteris Patriarchis, ut patefactiones, quas à DEO habuerunt, ad posteros propagarent, quemadmodum Abrahamum Genes. XVIII. v. 19. hoc *ἔλογιον* DEUS ipse, cum ei appareret, *μακάριον* [2].

N.] Conf. B. GLASSIUM peculiari de Prot-Evaogelio Genes. Disputatione, annexâ Grammat. S. p. 1024. seqq. ubi prolixè refellit Pontificios, qui cum Latinâ Veteri Versione *relativum illud*, ut notum est, in textu Genes. alleg. referre solent ad mulierem, & contra expressam literam textus legere:

Ipsa conteret caput serpentes: mediatoriam sic destructionem regni & potentia Diaboli, Protoplastis promissam, Maria ἀντραπείνα, Matri Christi, ad stabilendam

endam Μεθριολαγειαν, adscribentes, quod tamen soli Mediatori nostro Jesu Christo convenit: & in specie refutat ibidem Jesuitam Jacobum Gordonum Huntlaum, versionem quoque illam Vulgatam, quae ipsa legitur in feminino genere, retinentem, & mordicus defendentem, Relativum autem $\eta\tau\alpha$ ad Ecclesiam primario referentem, secundo ad Mariam, ut praeipuum Ecclesiae membrum. Adde huic D. CUNDISIUM Observ. in Camp. Hutter, Loc. III. de Christo Quest. 27. §. 6. p. 247. seq. & Loc. XXV. Quest. XI. §. 1. seqq. p. 1216. & seqq. 2.] Conf. B. FEUERBORN. Opp. Theol. Syntagm. I. Part. II. Dissert. 1. §. 12. p. 1173. seq. B. GLASSIUM tum Disput. alleg. §. XXVIII. seqq. p. 1028. & §. XXXIII. p. 1030. tum Rhetor. S. Tract. I. Cap. XX. p. 481. B. GERHARD. Loc. Theol. Tom. ult. Cap. II. p. m. 731. B. MEISNER. Consider. Theol. Photin. Cap. V. Artic. VI. p. 746. seqq. Adde Magnif. Dn. D. PRÆS. tum Bibl. Illustr. in Gen. III. v. 15. Tom. I. tum Disput. de fide Veterum §. XXXIII. seqq. p. 40. seqq. 2.] Vid. B. DIETERIC. Carech. Instit. de Purgatorio quest. 5. p. m. 637. B. KROMAYER. Theol. Posit. Polem. Artic. XXII. II. p. 1180. 7.] Vid. B. GLASS. l. c. §. XXI. p. 1030. B. MEISNER. l. alleg. p. 784. Magnif. Dn. D. PRÆSES Harmon. Calixt. Har. Cap. IX. §. VII. p. 1091.

II. Ex Henochi vivi Translatione in caelum de qua legitur II. Genes. V. v. 24. *Ambulavit Henoch cum DEO, & non apparuit, quia tulit Eum DEUS.* Per Ejus ambulationem cum DEO notatur fides & pietas singularis ac constans; sicut aliàs studium pietatis Metaphorâ vitæ & ambulationis in Scripturis [conf. Genes. XVII. v. 1. & c.] crebriò exprimitur: per *sublationem* subitanea in caelum & beatiorum statum è terris assumptio, quam non solum confirmat Siracides Cap. XLIV. v. 16., cap. XLIX. v. 16. & Apostolus Hebr. XI. v. 5.; sed & Chaldaicæ Versiones Onkelosii, Jonathanis, & Targum Hierosolymitanum η .] Atque huc etiam referri potest translatio Eliæ Prophetæ in beatam æternamque Vitam, de qua II. Reg. II. v. 1. His visibilibus exemplis sanè fidem piorum ac fidelium in Veteri Testamento de Vitâ æternâ non parùm confirmavit Jehova: quæ cum ipsi procul dubio satis perspecta ac cognita

cognita habuerint, utiq̄ve illis non ignotam, sed satis revelatam fuisse Vitam æternam oportet. Argumentamur:

Quicumq̄ve cognitum atq̄ve perspectum habuerunt Henochum & Eliam ē terris in cœlum esse assumptos, iis utiq̄ve Vita æterna non ignota, sed satis revelata fuit, ut ad illam ipsam etiam contendere potuerint. At pii & fideles Veteris Testamenti habuerunt id perspectum &c. E. piis & fidelibus in V. T. Vita æterna non fuit ignota, sed satis revelata &c. Quod argumentum ideò hīc urgemus, quoniam Sociniani non solum promissam, sed etiam apertè revelatam esse Veteribus Vitam æternam, negant, ceu jamjam in Procœmiō annotavimus; quæ hypothesis Henochi & Eliæ translatione in cœlum refutari potest clarissimè.

7.] *Conf. B. GLASSIUS Grammat. S. Libr. III. Traët. III. Canon. XXIX. p. m. 326. B. MEISNERUS loc. alleg. p. m. 785. CUNDISIUS Observ. ad Comp. Hutter. Loc. XXIX. Quæst. IV. §. 1. & 2. p. 1303. seqq.*

III. III. *Ex promissionibus Abrahamæ factis, quales extant Genes. XII. v. 3. & cap. XV. v. 1. In primò Locò DEUS ita Abrahamo dicit: In Te benedicentur omnes gentes; quæ promissio repetitur Genes. XVIII. 18. cap. XXII. 18. cap. XXVI. v. 4. cap. XXVIII. v. 14. Psalm. LXXII. 17. In Te, dicit, h. e. in semine tuo, ἐξ αὐτοῦ illo, quod promissus Messias est ex Abrahami semine nasciturus. Verba enim hæc non de personâ Abrahami debere intelligi, res ipsa docet, cum notitia Viri hujus ad paucos pervenerit, tantum ab est, ut nationes procul disitæ, aut omnes terræ familiæ, aliquam benedictionis spiritualis vel corporalis partem de Abrahamo, ejus nempe personæ promissæ, perceperint. De Christò igitur accipienda sunt, pro Quo Ipso hōc textu Abraham, ex quo, ut & reliquis Patribus, secundum carnem ortus est Christus Rom. IX. v. 5, ponitur per Metonymiam causæ, quâ Parentes & Majores, pro filiis & posteris, aut, ut alias enunciari solet, Nomina stirpium pro Patronymicis usurpantur: quæ Metonymia non est insolens in phrasibus præcipuè Jehovæ ad Patriarchas usurpatis. Quemadmodum sic quoq̄ve hæc promissio exponitur de Christo Genes. XIX. 18. XXII. v. 18. Psalm. LXXII. v. 17. Act. III. v. 25. & 26. Galat. III. v. 14.*

v. 14. ubi Paulus urget Numerum singularem in dictō illō; & Genes. XXVIII. v.14. manifestè conjunguntur *in Te & in semine Tuo*, quorum posterius prioris est ἐξήγησης, & copulativa *Et* idem est, ac *id est*, כִּי in, autem, idem est ac כִּי עֲבוּרָה *propter*, ut *in Te* sit sensu idem, ac *propter Christum* ex Te oriundum. Complectitur verò hæc promissio restitutionem Vitæ æternæ, per lapsum amissæ. Galat. III & IV. Opponitur enim hæc benedictio maledictioni, per quam temporali & æternæ morti homo factus fuit obnoxius: adeoq̄ve per benedictionem in primis spiritualia bona, justitia nempe fidei, & sic etiam hæreditas Vitæ æternæ innuitur ¶]. Undè & Apostolus benedictionem illam à Christo nobis partam sic exponit Ephes. I. v. 3., quod *benedixerit nos DEUS in omni benedictione spirituali* ἐν τοῖς ἐπ' ἀγγελοῖς *in caelestibus*. Quantum dein ad alterum locum Genes. XV. allegatum, ibi Dominus sic Abrahamum alloquitur: *Ero merces tua magna nimis*: Non verò solùm in hac vitâ fuit merces Abrahami DEUS, sed etiam, ac vel maximè est, eritq̄ve, in futurâ vitâ; quandoquidem *pietas promissiones habet vitæ presentis ac futurae* I. Tim. IV. v. 8: adeoq̄ve merces non tantùm temporalis, sed & unâ ac præcipuè æterna, intelligenda hîc venit. Promissio enim hæc dupliciter intelligi potest; [1.] *Causaliter* per Metonymiam de DEO Autore & Colatore mercedis Munificentissimô, quòd Is largissimam mercedem sit daturus Abrahamo; [2.] *Formaliter*, quòd DEUS Ipse per beatificam sui visionem sit futurus ipsius merces, quia DEUS *erit omnia in omnibus* I. Cor. XV. v. 28. Ut sensus sit: *Ego, qui sum DEUS, summum & Infinitum Bonum, ero merces, premium & beatitudo tua. Sprevisisti bona terrena à Rege Sodomorum oblata, ego. Ipse ero merces Tua æterna* ¶]. Ex quibus omnibus jam ita colligimus.

Cui spiritualis benedictio Messiaë, & perpetua merces promissa est, huic utiq̄ve Vita æterna revelata & certò promissa fuit. Atq̄vî ista omnia Abrahamo promissa sunt. Ergò Abrahamo Vita æterna revelata, & certò promissa fuit, & sic quoq̄ve omnibus piis, fidelibusq̄ve tum in V. tum in N. T., utpote quorum ille Pater est constitutus Rom. IV. v. 11. Major patet ex dictis.

C 2

¶.] Conf.

1.] *Conf. de hoc dicto B. GLASSIUM Rhet. S. Tract. I. Cap. I. de Metonymiâ p. m. 7. & 8. it. Grammat. S. Libr. IV. Tract. II. Observ. VII. p. 692. & 668. B. GERHARD LL. Theol. Tom. ult. de Vit. ætern. Cap. II. §. 14. p. m. 731. B. MEISNER. Loc. alleg. p. 786. B. WALTHER. Harmon. Bibl. p. III. & B. FEUERBORN. Opp. Theol. Fascic. VI. Disp. II. §. 64. p. 918. 1.] Vid. B. GERHARD. l. c. p. 732. & B. MEISNER. l. alleg.*

IV.

IV. *Ex fide atq; spe Abrahæ, Jacobi, Jobi ac Davidis, imò omnium Sanctorum Veteris Testamenti, quæ testantur, promissionem Vitæ æternæ ipsis non fuisse ignotam. ABRAHAM credidit DEO, & reputavit illud ei ad justitiam Genes. XV. v. 6. Rom. IV. v. 3. Galat. III. v. 6. Quibus locis fides Abrahami ita describitur, ut ejus objectum non tantum sit promissio terræ Canaan, sub quâ quidem etiam cœlestis hæreditas latebat; sed potius promissio seminis benedicti Genes. XII. , vel Messiaë, in quem credidit [A], cujus diem ut videret, exultavit, quem & vidit & gavisus est Joh. VIII. v. 56. Per hanc fidem Idem expectavit civitatem habentem fundamenta, h. e. cœlum, cujus Artifex & Conditor DEUS Hebr. XI. v. 10. ; quæ urbs non imago tantum est civitatis cœlestis, ut Grotius pervertit sententiam Apostoli, sed ipsa cœlestis Patria: sic enim Apostolus ipse interpretatus est infra v. 16. cap. XIII. v. 14. , nec Abraham, animo in supernam civitatem (cujus typus tantum erat terra Canaan) de fixo, magnoperè curavit & expectavit possessionem terræ Canaan, vel terrenam aliquam civitatem, sed cœlestem. B.] Jacob Patriarcha in ipsâ morte Genes. XLIX. v. 18. expectat DEI salutare, vel salutem; non certè temporariam & transitoriam, quia morti tunc fuit vicinus Genes. XLVIII. v. 21. ; sed æternam, quam propter Messiam promissum sibi dandam firmissime credidit & expectavit. 1.] Job scit & firmissime credit Redemptorem suum vivere, se in novissimo die de terrâ surrecturum, & rursus circumdatum iri pelle suâ, & in carne suâ oculis suis visurum*

visurum DEUM cap. XIX. v. 25. 26. 27. Nequaquam ibi verba faci-
ens de *restitutione sanitatis in hac vita*, & de *felicitate temporali in*
Terris, ut quidam ex Rabbiniis, quos secutus Mercerus, Eugubi-
nus, Ochinus, Enjedinus & Piscator Herbornensis, statuunt. Sed
de *secuturâ Corporum Resurrectione*, ac *sempiternâ electorum in cœ-*
lis lætitiâ atq; visione DEI beatificâ. Etenim Jobus, qui jamjam
de *restitutione corporalium bonorum desperaverat* cap. VII. v. 7.
Cap. X. v. 20. & 21. Cap. XIII. v. 15. Cap. XVI. v. ult. Cap. XVII. v. 1.
Cap. XIX. v. 10. & c., opponit amicis, ipsi ut impio, secundum
receptam Judæorum opinionem, omnem spem resurrectionis de-
negantibus cap. XVIII. v. 5. 13. 14. cap. XX. v. 9., Thesin contra-
riam, præmissô magnificô proœmiô, captatâq; ante omnia ac po-
stulatâ, pro dignitate rei, attentione debitâ, vultq; dicere: *Qvam-*
vis putetis, me esse impium, & post mortem nunquam revocatum
iri in vitam, certâ tamen & indubitatâ fidei notitiâ, quam verbum
עֲרִי exprimit Genes. XV. v. 13. 1. Sam. XIV. v. 11., Scio, quòd vivit
Redemptor meus, i. e. Filius DEI, voce לְנֶפֶשׁ, talem notantē
Vindicem, qui tum redimendis consanguinitate est junctus, tum
pretium quoddam pro redemptione interponit, conf. Psalm. XIX.
v. ult. Psalm. LXXII. v. 14. Psalm. LXXIV. v. 2. Psalm. LXXXVIII. v. 35.
Es. LIX. v. 20. item Es. LXIII. v. 9. Hof. XIII. v. 14. & c., indigeta-
tus; qui Vita est, quâ Deitarem, & rediturus post mortem glorio-
sâ resurrectione in Vitam, secundum humanitatem, inq; virtute
suæ resurrectionis me demortuum resuscitaturus in novissimô die,
& circumdaturus est pelle meâ, ad videndum in carne DEUM,
istis ipsis oculis meis, adeòq; visione corporali, quæ fit de facie ad
faciem, nec non nisi post mortem in futurâ vitâ continget ☩).
Quod ad *Davidem*, sperat ille, se perventurum ad filiolum suum
demortuum 2. Sam. XII. v. 23., *se visurum bona Domini in regione*
viventium Psalm. XXVII. v. 13. *se in æternum non confusum iri* Psal.
XXXI. v. 2. Jam qui pervenire ad filium beatè demortuum, videre
bona Domini in regione viventium sperat, quiq; in æternum con-
fundi non debet, is utique optat & sperat vitam ac prosperitatem
sempiternam ☨). De omnibus denique Vet. Test. Sanctis in ge-
nere dicitur Hebr. XI. v. 14., *quòd confitentes se esse peregrinos & ho-*
spites

spites super terram significaverint se Patriam aliam inquirere, puta coelestem, sic enim exponitur vers. 16. siquidem istius meminissent, de qua exierunt, habebant tempus revertendi, nunc autem meliorem appetunt, h. e. coelestem, ideo non erubescit DEUS vocari DEUS eorum, paravit enim eis civitatem. Ex quibus omnibus jam hunc in modum concludimus:

Quicumque verè crediderunt in Christum, expectaverunt ac speraverunt vitam coelestem & sempiternam, certò sciverunt atque crediderunt, se resuscitatum iri post mortem, se in carne suâ visuros esse DEUM, visione nimirum beatificâ & gloriosâ &c., illis utique Vita æterna fuit revelata & certò promissa.

Sed ista omnia de Abrahamo, Jacobo, Jobo, Davide & omnibus Sanctis Veteris Testamenti verè dicuntur, ut ostensum.

Ergò & illis Vita æterna fuit revelata, ac certò promissa.

Major firmisimò stat talò. Nam ignoti ut nulla notitia, ita quoque nulla fides, nulla expectatio, nullum desiderium. Ac fides atque promissio semper & indissolubiliter cohærent tanquam relatam & correlatam: & ubi Verbum ac promissio non est, ibi neque fides certa esse potest. Vice versâ autem ubi verbum & promissio est, ibi fides quoque certa & indubitata esse potest, propter veritatem & immutabilitatem promittentis. Spes denique prorsus nulla absque revelatione promissioneq; est D). Quæ cum manifestè evincant fidem, spem Vitæ æternæ ac studium consecutionis non posse in quoquam locum habere absque Vitæ Eiusdem revelatione atque promissione, quomodo quæso potuissent in Sanctis Veteris Testamenti locum habere, quomodo potuissent illi credere, sperare & expectare Vitam æternam, si ea ipsis non revelata atque promissa fuisset, si de Eâdem nihil scivissent quicquam vel audivissent. Eleganter Franzius J): Quomodo, inquit, sperassent, nisi credidissent? Quomodo credidissent, de quo non audivissent, nisi prædicatum ipsis fuisset? Quomodo verò prædicassent ipsis aliqui, nisi ad hoc ipsum prædicandum à DEO missi, & hoc ipsum prædicare jussi? ut Roman. X. in simili negotio argumentatur Apostolus gentium.

M.) Conf.

M.) Conf. B. MEISNER. *Confid. Theol. Phot. Cap. V. p. 786.*

U.) *Magnif. Dn. D. PRÆSES Bibl. Illustr. Tom. II. Annot. in Epist. ad Hebr. Cap. XI. v. 10. p. 1355. & Dn. D. QVEN-*

STED. Disput. sæpè alleg. Thes. II. Obs. V. 1.) Vid. B. GER-

HARD. Tom. cit. Cap. I. §. 14 p. m. 732. 2.) B. WALTHER.

Harmon. Bibl. in b. l. p. 481. seqq. 3.) B. MEISNER. l. c.

p. 793. adde B. GERHARD. l. c. p. m. 733. 4.) Vid. B. BAL-

DUIN. Comment. in Ep. ad Hebr. Aphor. IV. ex tertiâ part.

Cap. XI. p. m. 1635. B. GERHARD. loc. sæpè cit. p. m. 779.

Magnif. Dn. D. SCHERZER. Colleg. Anti-Socin. Diss. 38.

pag. 321. 5.) Disput. VII. in August. Confess. de Bon. Oper.

Thes. LV.

V. *Ex additâ Circumcisionis Sacramento gratuitâ DEI promissione Genes. XVII. v. 7. Ero DEUS tuus, & DEUS seminis tui post te. Unde sic argument.*

Quorum hominum Jehova promisit se esse & fore DEUM, illis omninò promisit Vitam æternam.

Atqui Abrahami & seminis ejus, h. e. posterorum, se DEUM fore promisit Jehova, sanciens cum Eò foedus.

Ergò Abrahamo & semini ejus, h. e. posteris, promisit Vitam æternam, adeòq; promissiones Vitæ æternæ pii in Veteri Testamento utiqve habuerunt.

Major probatur; quia ista phrasis DEI, seu propositio: *Ero DEUS tuus, & seminis tui post te*: non fuit quoad literam solius peculiaris protectionis, & gubernationis, & terrenæ felicitatis, sed gratiæ etiam divinæ & Vitæ æternæ promissio. Quod constat 1.) ex *Propheticâ expositione* Jerem XI. v. 4. Hof. I. v. 9. Psalm. CXLIV. 15. Joh. VIII. v. 54. Inprimis 2.) ex *Christi explicatione* Matth. XXII. v. 32. Marc. XII. v. 27. Luc. XX. v. 38. *non est DEUS mortuorum, sed viventium DEUS, omnes enim vivunt Ei*, hoc est, quorum Deum fore DEUS promittit, illos non solum gratiâ in hac vitâ completur, sed etiam ex terræ pulvere aliquandò ad vitam æternam resuscitabit. 3.) è *loci paralleli collatione*. Phrasis enim & promissio illa explicatur disertè *Apocal. XXI. 7.* de Vitâ æternâ, quòd nempe DEUS sit & esse dicatur fidelium in ipsâ æternâ vitâ. 4.) Ex *Oppositione*; nam *esse sine DEO*, notat esse extra gratiam DEI Justificato-

ris

ris & Salvatoris Ephes. II. v. 12. Ergò habere sibi DEUM hic notat habere DEUM, benignum Patrem, Salvatorem, Vitæ æternæ omniumq; beneficiorum summum Collatorem, & ex periculis atque à morte æternâ Liberatorem ☩).

Minor est certa ex locò allegatò. Neque verò dubium est, eam promissionem fuisse Israëlitis cognitam, quippe perpetuum ejus memoriale ac pignus in carne suâ circumgestarunt, ac quoties ad foedus cum Patribus factum provocarunt, toties promissionem de Vitâ æternâ propter Messiam dandâ fide se amplecti testati sunt ☩).

☩.) Conf. B. FEUERBORN. *Opp. Theol. Fascic. II. Disput. VI. §. 50. p. 278. seq. It. Disput. VII. §. 56. p. 312. Adde B. GERHARD. loc. sæpè alleg. p. 777. ☩.) B. GERH. l. c.*

VI. VI. *A Libro Vitæ, cujus fit mentio Exod. XXXII. v. 32. & 33. Dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, (i. e. non inscribe, nunquam me insere libro tuo; vel subintellectâ conditione aliquâ, nempe si Tibi placet, si fas est, si fieri potest, ut quis iterum deleatur de libro tuo ☩), quem scripsisti. Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de Libro meo; (h. e. eum nunquam inscribam, nunquam inseram libro meo; vel subintellectâ iterum hypothese, ut in petitione Moïsi; si possibile foret, ut semel inscripti libro meo, vel electi finaliter pereant ☩). Hic Liber non est alius, quàm Liber Vitæ, DEO Metaphoricè tributus, cujus & alibi Scriptura meminit, ut Psalm. LXIX. v. 29. Daniel. XII. v. 1. &c.: quod non solum docet modus loquendi, quò liber κατ' ἐχολω librum vitæ insinuat, uti Daniel. cit. sed etiam responsio DEI v. 33., quâ respectus fit ad peccatum, cujus stipendium mors altera est Vitæ æternæ opposita. Istum autem Librum Vitæ complecti revelationem ac promissionem Vitæ æternæ manifestum est denuò tum ex locò Prophetico Daniëlis modò allegatò, tum ex ipsâ phrasi: quandoquidem liber Vitæ nihil est aliud, quàm Catalogus salvandorum, spirituales vitam viventium, & in æternam gloriosamq; aliquando introducendorum: ex quò sicut deleri propter peccata est rejici, non in eum scribi (unde delictio negativa dicitur, opposita privativæ, de quâ (negativâ,) exponunt Psalm. LXIX. cit. ☩.), & damnationi æternæ adjudicari, sic*

sic contra in illum inscribi, est in numerum salvandorum recipi, inter salvandos vel hæredes vitæ æternæ referri. 7). Ex his jam tale fuit argumentum:

Quibus Liber Vitæ fuit cognitus, quicq; sicut sciverunt, ob peccata aliquem deleri, vel non scribi, sic contra & hoc noverunt, credentes ac justos illi libro inseri, atqve ita beatitudinis æternæ hæredes fieri, iis æterna Vita fuit revelata.

Atqvi Patribus in Veteri Testamento fuit cognitus Liber Vitæ, uti probatum est, & sciverunt credentes ac justos illi libro inseri &c.

Ergò Patribus in Veteri Test. Vita æterna fuit revelata.

5.) Nimirum aliqui Theologi nostrates hunc locum exponunt de deletionem negativâ, quòd nempe Moses per Verbum affirmativum *delere* intelligat contrarium negativum *NON*

scribere; aliqui verò, & pleriq; recentiorum locutionem seu petitionem Mosis habent pro hypotheticâ, deletionem nempe Mosen petere, nequaquam absolutè, sed cum conditione aliquâ subintellectâ. Confer pluribus B. BALDUIN. Comment. in Cap. IV. Epist. ad Philip. Quest. I. p. m. 1027. it. vid. p. 1021. B. WALTHER. Harmon. Bibl. pag. 235. Magnif. Dn. D. SCHERZER. Colleg. Anti-Socin. Disput. 87. p. 709. seq. 3.) Vid. Autores modò allegati ll. cc. 7.) Vid. B. GERHARD. l. cit. §. 31. p. 778. B. MEISNER. Consider. Theol. Phot. Cap. V. p. 788.

VII. Ex Legi morali & doctrinæ de Sacrificiis annexâ promissione remissionis peccatorum Exod. XXXIV. v. 7. seqq. Argumentamur hunc in modum:

VII

Quibuscunqve facta fuit promissio remissionis peccatorum, illis etiam facta fuit promissio Vitæ æternæ:

Atqvi de piis & fidelibus in Veteri Testamento prius est verum.

Ergò & piis ac fidelibus in Veteri Testamento facta fuit promissio Vitæ æternæ.

D

Majo-

Majoris connexio suâ luce radiat: in remissione enim peccatorum Vita æterna continetur & intelligitur juxta Osterodum (W.) Minor satis claret ex loc. Exod. alleg.

IIX

W.) Instit. cap. XXI. fol. 145.

VIII. Ex Legalibus Vitæ & salutis Promissionibus, quæ leguntur Levit. XVIII. v. 5. Custodite leges meas atq; judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Deuteron. XXX. v. 6. Circumcidet Dominus DEUS tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut possis vivere. Vers. 15. 16. Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, mortem & malum, ut diligas Dominum, & vivas. Vers. 19. Testes invoco caelum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Huc etiam pertinent Exod. XX. v. 6. Deuteronom. IV. v. 1. Cap. V. v. 33. Ezech. XX. v. 5. 13. & 21. &c. in quibus similiter legem perfectè præstantibus Vita & salus promittitur. Hæ promissiones legales non tantùm de temporali, sed unâ de spirituali, in gratiâ DEI consistente, tum de æternâ vitâ ac beatitudine loquuntur. Christus enim, legis Mosaicæ Interpres omni exceptione superior, docet, Vitam æternam in Lege promissam esse, dum ad quæstionem: *Quomodo consequar vitam æternam?* id unum Luc. XVIII. v. 20; *Præcepta nosti,* respondet: quoniam Δευνάδι Θεωῆν testatur Pacto Mosaico annexam fuisse promissionem Vitæ æternæ, Legisperito quærenti, Luc. X. v. 25. quid facere debeat, ut Vitam æternam consequatur, respondens: *In Lege quid scriptum est? quomodo legis?* & recitatâ ab ipsò Legis summâ, subjiciens; *Hoc fac, & vivas,* vitâ utiqve æternâ, quâ de quæstio erat. Accedit testimonium Pauli, promissa Legis itidem de Vitâ æternâ exponentis Roman. II. v. 13. *Factores Legis justificabuntur,* i. e. justitiam & salutem æternam adipiscentur. Cap. VII. v. 10. *Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam,* nempe beatam & sempiternam datum, *hoc esse ad mortem.* Cap. X. v. 5. Galat. III. v. 12. *Justitia Legis hæc est, qui fecerit ea, vivet in eis.* Idem præterea experientia etiam docet, cùm Legis prævaricatores vitâ temporali fruuntur, utut non præstent Legi obedientiam, imò sæpenumerò diutiùs vivant, Legi obsequium præstantibus; confirmaturqve, quod præcipuè attinet Deuteron. alleg.

alleg., à contrario: Vitæ namque, facientibus Legem promissæ, opponitur ibi maledictio & mors non tantum temporalis, sed potissimum æterna. Oppositorum autem eadem est ratio N): Quantumvis autem Apostolus Paulus Galat. III. v. 10. neget, *Legem esse datam, quæ possit vivificare*, sive vitam æternam dare; ex eo tamen ipsis promissionibus Legalibus absolutè & in se consideratis nihil quicquam decedit, quò minus Vitam æternam judicentur offerre obedientibus. Utpote ea vivificare nos nequit, non ex propria sua *αδυναμία*; est enim Verbum vivum, sed nostrò vitiò, atque ob nostram pravitatem: quæ si à nobis abesset, & nos Legi divinæ plenè essemus conformes, tum viveremus in illâ NN). Jam argum.

Si piis atque fidelibus in V. T. factæ sunt legales vitæ atque salutis promissiones, sequitur, quòd iisdem vita æterna promissa fuerit in Lege seu Pactò Mosaicò.

Antecedens est. Ergò & Consequens.

N .) *Conf. de his pluribus* B. GERHARD. *Tom. ult. Cap. II. §. 14. Loc. Theol. p. m. 732. seq.* B. MEISN. *loc. sæpè alleg. p. 790. seq.* B. FEUERBORN. *Fascic. VI. Diss. II. Opp. Theol. §. 66. p. 919. Magnif. Dn. D. PRÆSES Harm. Calixt. Heret. Cap. IX. §. XVI. p. 1098. seq.* Magnif. Dn. D. SCHERZER. *Colleg. Anti-Socin. Diss. XXXVIII. p. 318. NN*) *Vid. B. GERH. l. c. p. 733. B. FEUERBORN. Syntagm. II. Dissert. 4. §. 30. p. 1496. Adde de Galat. l. c. B. BALD. Comm. in c. X. Ep. Rom. Qv. I. p. m. 191. seq.*

IX. *Ex Beatitudine in Psalmis sæpius & Proverbiis promissâ.* IX.

Ab hac statim orditur Rex David Ps. I. v. 1. *Beatus Vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Sic Ps. II. v. ult. *Beati omnes, qui confidunt in Eò,* Prov. XVI. v. 20. *Qui sperat in Dominò, beatus est.* Huc pertinent reliqua dicta, in quibus de beatitudine agitur; ut Psalm. XXXII. 1. Ps. XXXIII. 12. Ps. XXXIV. 9. Ps. XLI. 2. Prov. XIV. 21. c. III. 13. c. XXIX. v. 18. &c. Plura ejusmodi passim in Psalmis & Proverbiis occurrunt, ubi intelligitur non tantum hujus, sed etiam ac vel maximè futuræ vitæ felicitas. Nam illa beatitudo statuitur in peccatorum remissione, in spe & fiduciâ &c. atque fructus remissionis peccatorum & finis fidei est Vita æterna 1. Pet. I. v. 9. Dein in Hebræo est plurale, *שְׂרָרֵי הַיְיָ*, beatitudines viri illius, h. e. vir ille erit maximè beatus, omni beatitudinum genere implebitur; [prius enim sub-

stantivum loco adjectivi hinc est, quod inter duo substantiva in regimine posita non raro contingere in Scripturâ solet בב), id verò non temporali, sed cœlesti & æternæ beatitudini duntaxat congruit. Et quæ fuisset illa fides, quæ beatitudo, si piis Veteribus in locis citatis beatitudo tantùm temporalis fuisset promissa, nec quicquam illi scivissent de alterâ vitâ & præmiis cœlestibus? Certè pii ac sancti in hac vita plerumq; sunt afflictissimi, & præ reliquis cruci obnoxii, impiis contra in hoc mundo florentibus: quod & veteres experti, uti testantur exempla, & conqueritur Jobus c. XXI. v. 7. Assaph Ps. LXXIII. v. 12. Jer. c. XII. v. 1. Sancti igitur pleriq; miserrimè certè fuissent, nec participes ullius beatitudinis, quæ tamen passim promittitur, si nullas habuissent alterius vitæ promissiones, & beatitudo in Psalmis ac Proverbiis decantata non nisi de hujus vitæ felicitate esset intelligenda בב). Argumentamur igitur:

Quibuscunqve passim in Psalmis & Proverbiis beatitudo (non temporalis, sed cœlestis) fuit promissa, illi omninò habuere Vitæ æternæ promissiones.

Sed piis atqve fidelibus in V. T. passim in Psalmis & Proverbiis talis beatitudo fuit promissa. E.

בב.) Vid. pluribus B. GLASS. Gram. S. Lib. III. Tract. I. Can. VIII. p. m. 29. בב) Conf. B. GERHARD. loc. cit. sæpè §. 15. p. m. 733. & B. MEISNER. loc. cit. p. 793.

X. X. A benevolâ Voluntate DEI, de qua Ezech. XVIII. v. 33. Nolo (voluntate videlicet antecedente, quæ est Misericordiæ, nam voluntate consequente, quæ est justitiæ, eam vult, ut justus Judex & Vindex בב.) mortem morientis, dicit Dominus DEUS, Revertimini, & vivetis. Cap. XXXIII. v. 11. Vivo ego, dicit Dominus DEUS, non delector morte [rursus voluntate antecedente בב.)] sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël? Quibus textibus de Vita non temporali, sed potius tum spirituali, tum æternâ agere Prophetam perspicuum est. Etenim i.) si ille loquitur de morte etiam æterna, eiqve vitam plenè opponit, ergò etiam loquitur de Vitâ æternâ: quippe quæ vel maximè opponitur morti æternæ. Sed prius est. Nam de eâ morte sermonem facit, quam omnes & soli impenitentes incurrunt, omnes & soli resipiscentes effugiunt; à qua

à quâ homo pœnitens semper liberatur, & *ad* cuius depulsiõnem
 DEus instituit Verbi sui ministros cap. XXXIII. v. 7. & 14. ; porro
in quam incurrit justus, à justitiâ suâ recedens, & iniquitates fa-
 ciens cap. XVIII. v. 24. & c. At mors corporis & temporalis resi-
 piscens æquæ manet ac impœnitentes; nec à morte temporali,
 sed æternâ homo pœnitens semper liberatur, atq; ad ejus depul-
 sionem DEus instituit verbi sui ministros; deniq;ve justus, à justitiâ
 suâ recedens, (nisi pœnitentiam agat) incurrit in æternam
 mortem Matth. XXV. [2.] Illa Vita hîc connotatur, quæ cum
 impetratâ peccatorum remissione est conjuncta, ut liquet ex
 c. XVIII. v. 22. & capit. XXXIII. v. 16. ; quæq; solis justis est pro-
 pria, & gratuitum ipsorum justitiæ præmium est. Sed vita spiri-
 tualis & æterna est cum impetratâ remissione peccatorum con-
 juncta; ac vitâ & prosperitate æternâ solùm pii, temporali au-
 tem etiam impii fruuntur, imò hi plerumq;ve in præsentî seculò
 habent meliùs, quàm justî [77]. Quia ergò Vita æterna hîc in-
 telligitur, ut quæ eam in Veteri Test. non fuisse ignotam, sed
 omnibus piis tanquam brabeum justitiæ promissam, rectè conclu-
 dimus. Argumentamur enim hunc in modum:

Ubi quæque promittitur Vita cum impetratâ peccatorum
 remissione conjuncta, pœnitentibus propria, æternæq; morti im-
 pœnitentium opposita, ibi etiam promittitur Vita æterna. Atqui
 in V. T. Ezech. cit. talis vita est promissa. Ergo etiam in V. T.
 Vita æterna est promissa. Major patet ex modò dictis: quia
 nempe vita, conjuncta cum impetrata peccatorum remissione
 & c. non est temporalis, sed æterna.

[77.] Conf. B. FEUERBORN. *Dissert. Theol. de Peccato in*
Spir. S. p. 2054. B. WALTHER. *Harmon. Bibl. in b. l. p. 359.*
& 538. [77.] Vid. B. GERHARD. *loc. supè alleg. p. m. 794.*
 B. WALTHER. *l. c. p. 647.* B. FEUERBORN. *l. c. p. 2055.*
seq.

XI. *Ex Daniel XII v. 1. In tempore illo evadet vel salvabi-* XI.
tur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro, quod v.
2. & 3. fusiùs hõc modò explicatur: Et multi de hiis, qui dormiunt
in terra pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in oppro-
brium. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmam-
enti;

menti, & qui ad justitiam erudierunt multos, quasi stella in perpetuas aeternitates. Clarissimus hic textus est, & propterea valde urgendus contra Antagonistas. Audimus enim [1.] de libro, nimirum vitæ. [2.] de salute omnium in libro scriptorum. [3.] de ipsâ Vitâ æternâ *ῥητῶς* & quoad literam. [4.] de gloriâ & sempiternô splendore justorum, ex quibus infallibiliter patet, Veteribus Vitam æternam non fuisse incognitam, sed revelatam, prædictam omnibusque piis & justis promissam 11). Quod argumentum Achilleum Syllogisticis compedibus inclusum ita se habere potest:

Quibuscunque in V.T. prædictum ac prædicatum fuit (1.) de libro vitæ (2.) de salute omnium in libro scriptorum. (3.) Vitâ æternâ *ῥητῶς*, ita ut in eam resurrecturi sint ac evigilaturi pii, surrecturis contra impiis ad æternum opprobrium. (4.) de gloriâ & splendore justorum, illis non incognitam, sed revelatam atque promissam oportet fuisse Vitam æternam. Atqui piis & fidelibus in V.T. prædicta & prædicata hæc omnia fuerunt à Daniele Erg. piis & fidelibus in V.T. revelatam fuisse atque promissam Vitam æternam oportet.

11.) Conf. B. MEISNER, *Theol. Phot. Consider. loc. ante cit.*
p. 789.

XII.

XII. *Ex promissione liberationis de morte æternâ.* Extat ea Hose. XIII. v. 14. *De manu inferni redimam eos, de morte liberabo eos: Ero pestilentia tua, ô mors, ero lues tua, ô inferne.* Hisce verbis promittitur non tam liberatio corporalis & absoluta, ex manu mortis temporalis & angustiis hujus vitæ in spem de solutione ignominiosæ captivitatis Babylonica, (quæ glossa est Calvinii Judaizantis, nullis rationibus suffulta, à quô etiam divortium facit Pareus,) quàm redemptio spiritualis ex manu mortis æternæ atque inferni, & collatio perennis vitæ, cujus in extremô die participes reddentur non tantùm Christiani, sed etiam omnes Judæi fideles, siquidem vi hujus prædictionis ac promissionis omnes pii, quocunque tempore post illam vixerunt, revocabuntur in vitam gloriosam. Atque ejus testem habemus omni exceptione majorem Apostolum Paulum, qui verum vaticini i Prophetici sensum his verbis exposuit. I. Corinth. XV. v. 54. *Quum corrupti-*

corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam, Ubi est mors stimulus tuus? Ubi tuus, inferne, victoria? Jam quis dubitet, quò sensu promissionem illam intellexit & explicavit Apostolus, eodem quoque Prophetam suis Auditoribus exposuisse, & illos accepisse? Aliàs enim sequeretur, Prophetam ipsum nec intellexisse, nec suis rectè discipulis exposuisse, quòd scripsit; undè porro sequeretur, omnes Patres alienam huic promissioni mentem, falsumque sensum affinxisse, quòd absurdum est. Quibus jam suppositis argumentamur hòc modò:

Quibuscunq; promissa fuit liberatio ab inferno, seu morte æternâ, vitæq; perennis collatio, illis utiq; promissam fuisse Vitam æternam necesse est. Atqui Veteribus piis atq; fidelibus in V.T. promissa fuit liberatio &c. Ergo & piis atq; fidelibus in V.T. promissam fuisse Vitam æternam necesse est.

Major eodem fundamento, quo primi nostri argumenti, ex Gen. III. v. 15. petiti, propositio major, nititur.

Minor manifesta est ex loc. Hof. cit.

ii.) Conf. B. MEISNERUS loc. alleg. p. 795. Dn. D. CUNDISIUS Observat. in B. HUTTERI Compend. Loc. XII. Quest. VII. p. m. 749. seq.

XIII. Ex Apborismo Prophetæ Habacuc, qui legitur cap. II. v. 4. *Iustus ex fide suâ vivet*, vitâ videlicet, oppositâ peccato, inferno & morti conf. vers. seq.; semper durante, ut apparet ex verbo futuri temporis *ζήσεται vivet*, notante perpetuum & nunquam interrumpendum vitæ actum; veniente ex fide, cujus finis est salus animarum 1. Petr. I. v. 9.; complectente deniq; benedictionem & salutem æternam, ut confirmatur ex Novi Test. explicatione Rom. I. v. 17. Galat. III. v. 11. Hebr. X. v. 37. & 38, ideoque vitâ sine dubio, cœlesti atq; æternâ (117). Argumentamur.

Vbicunq; promittitur ejusmodi vita, quæ semper durat, venit ex fide, opponitur peccato & inferno, atq; complectitur benedictionem salutemque æternam, ibi sine dubio Vita æterna promittitur. Atqui in V. T. vita promittitur, quæ semper durat &c. quod ex loc. Habacuc alleg. dispalescit, Ergo in V. T. promittitur Vita æterna.

Majoris

XIII.

Majoris connexio est clara: vita enim semper durans; veniens ex fide &c. nulla est alia, quàm æterna.

ΠΠ.) Conf. B. GERDARD. loco aliquoties citato Cap. IV. §. 45. p. m. 809. B. MEISNER. Consider. Theolog. Photinian. Cap. V. p. m. 196. & seq.

XIV.

XIV. Ex dicto Salvatoris Joh. V. v. 39. *Scrutamini Scripturas, ὅτι υἱεῖς δοκεῖτε, quia vos ex stimatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* & Pauli Apostoli 2. Tim. III. v. 15. *Ab infantiâ Sacras Literas nosti, quæ te possunt σοφίαι, erudire, vel instruere, sapientem reddere eis σωτηρίαν ad salutem.* In priori loco Salvator loquitur ad Judæos de Scripturis Veteris Testamenti, quandoquidem illo tempore, quo hæc ipse protulit, nullæ aliæ extabant; & in illis vitam æternam non ἡ δόξαν aut pravâ Judæorum opinione, sed ἀληθῶς haberi atque offerri docet. Nec enim Verbum δοκεῖν hîc dubiam, inane, ac falsam quandam opinionem, sed firmam, veram atq; constantem sententiam, verumq; judicium, cui res ipsa in veritate respondet, denotat. Id quod partim ex vers. 45., partim ex collatione tum Marc. VI. v. 49. & Matth. XIV. v. 26. tum Luc. VIII. v. 18. Marc. IV. v. 25.; partim ex aliorum etiam locorum Scripturæ collatione, in quibus verbum δοκεῖν usurpatur Matth. XVII. v. 25. Cap. XVIII. v. 12. Cap. XXII. v. 42. cap. XXIV. v. 44. cap. XXVI. v. 66. Marc. X. v. 42. Luc. I. v. 3. Luc. X. v. 36. I. Corinth. IV. v. 9. &c. partim ex Syriacâ versione, quæ habet verbum ܕܘܟܝܢ, quod notat ὑπολαμβάνειν, νομίζειν, & respondet Hebræo דָּבַח, certam & constantem opinionem haud raro significanti, partim deniq; ex ipsò contextu sole clarius elucet. Nam Christus hanc Judæorum δόκησιν non taxat, nec improbat, sed potius approbat, & hoc tantum taxat, v. 40. quod ad se juxta Scripturæ dictum non veniant, adeoque perennis vitæ participes fiant, nec non ex hoc ipso principio ad diligens Scripturæ scrutinium eos adhortatur, insuperque evidentem addit rationem, quare in Scripturis Vita æterna dicatur haberi, quia scilicet de Christo, qui est Vita æterna, & in cujus cognitione consistit Vita æterna, testificantur ὅτι. Quantum ad posteriorem locum 2. Tim. III. ibi rursus ad Scripturas cum primis Veteres respicitur, quippe cum

eum ab infantia Timotheus alias legere haud potuerit; ad minimum includi illas certissimum est. Ex illarum lectione illud habere nos commodum docet Apostolus, quod inde ad salutem instruamur ¹¹). Jam si in Scriptura V. Testamenti habetur & offertur Vita aeterna, ac Sacrae Literae V. T. possunt nos instruere ad salutem, utique in illis Vita aeterna revelata ac promissa fuit. Argumentamur.

In quibus Scripturis habetur & offertur Vita aeterna, quaeque instruunt ac sapientes nos reddunt ad salutem, in iis Vita aeterna sine dubio revelata est atque promissa. Sed in Scripturis V. Testamenti habetur & offertur Vita aeterna, quaeque instruunt & sapientes nos reddunt ad salutem. Ergo in Scripturis Veteris T. omnino Vita aeterna revelata fuit atque promissa.

Excipiunt Sociniani ad hoc argumentum ex Joh. V. de sumtum, *Judaeos quidem putasse, quod in antiquis Scripturis vitam habuerint, non autem revera habuisse* ככ). Verum

Exceptio Socinianorum.

R. (1.) Probandum hoc est, quod dicitur. (2.) Probandum *δοκεῖν* falsam semper opinionem denotare. Contrarium dispalescit ex modo dictis.

(3.) Si errassent Judaei ita statuendo, procul omni dubio Christus demonstrasset errorem, aliterque illos informasset.

(4.) Moderni Judaei concedunt vitam aeternam in Lege promitti. *Dicant (quicquid velint Judaei) nihil unquam Moses promisit, praeter hujus Vita bona*, inquit Socinus adversus Semi-Judaizantes sive Miscellaneor. fol. 5. Jam ab iis (modernis Judaeis) ad veterum opiniones nunquam non arguunt Sociniani, quod facit etiam Smalzius in hoc argumento ¹¹).

(5.) *Judaei, inquit Schlichtingius, non falso putabant, quod in Scripturis vitam aeternam haberent, sed quod eam haberent extra hunc, qui Messias ille erat, in ea opinione sua plurimum fallebantur* in l.c. Job. Tom. I. Comment. fol. 45.

100.) Conf. B. GERHARD. Tom. ult. Cap. II. §. 30. p. 776. B. MEISNER. l.c. p. 898. B. WALTHER. Harmon. Bibl. p. 961. seq. Dn. D. SCHERZER. Colleg. Anti-Soc. Disp. 38. p. 317. seq. ¹¹). Vid. MEISNER. l.c. p. 799. ככ). Conf.

E

in pri-

in primis Schmalzius Disp. contr. Franz. p. 222. cui addatur Socinus c. Paleol. P. IV. fol. 562. Volckel. L. III. V. R. t. XI. fol. 61. 47.) Vid. B. GERHARD. & B. MEISNER. II. cc. item Magnif. Dn. D. SCHERZER. loc. alleg. p. 318.

XV. XV. *Ex Evangelio in V. T. propalato atq; promulgato.* Sumitur autem vox Evangelii non unò modò: aliquandò enim per Meronymiam non solùm pro historiâ de Christo exhibitò in carne, ab authenticis Ejus testibus Evangelistis descriptâ, sed etiam pro totò ministeriò, sive doctrinâ cœlesti totâ, ex Lege & Evangelio constante, à potiori factâ denominatione, ut Marc. XVI. v. 15.; aliquandò pro *εὐαγγέλιον* alicujus Evangelistæ & Apostoli libro, ut textus Dominicales dicuntur Evangelia; aliquandò aliter. Nos in præsentì eam attendimus acceptionem, quâ illud, propriè sumtum, & à Lege discretum, non at lætum nuntium, vel gratuitam promissionem de reconciliatione, & peccatorum nostrorum remissione vitæque æternæ propter Christum vel revelandum, vel revelatum *DD*). Atq; hòc sensu Evangelium non minùs habuerunt præsci Patres, quàm nos hodiè: ex quò ipsos etiam Vitæ æternæ habuisse promissionem rectè colligimus. Argumentamur: Quicumq; habuerunt Evangelium, illi etiam habuere Vitæ æternæ promissionem. Atqui pii atq; fideles in V. T. habuerunt Evangelium. Ergo.

Major est manifesta: Evangelium enim includit gratuitam Vitæ æternæ promissionem per fidem in Christum; utpote quod est gratuita promissio, sive prædicatio pacis cum DEO, & bonorum spiritualium, benedictionis, remissionis peccatorum, justificationis & salvationis; est Verbum Vitæ æternæ Joh. VI. v. 68. atq; Verbum salutis Eph. c. I. v. 13. *DD*).

Minor itidem patet. Siquidem (1.) Esaias etiam cum admiratione & exultatione cordis sui dixit: *Quàm speciosi sunt pedes Evangelizantium pacem & bona* cap. LII. v. 7. (confer Nahum I. v. 15. Rom. X. v. 15.); & David Psalm. XIX. v. 5. de prædicatione Evangelii Apostolicâ vaticinatus est: nec non Paulus Rom. X. v. 16. de Veteri populò disertè ait, *non omnes auscultasse Evangelio*, ex quò necessariò sequitur, quòd illud audiverint & habuerint Veteres. [2.] Aperte Minor confirmatur ex Rom. I. v. 1. & 2. Gal.

Gal. III. v. 8. Hebr VIII. v. 8. Act. X. v. 43. cap. XV. v. 11. C. XXVI. v. 22. & cap. XXVIII. v. 23. [3.] ex variis Veteris T. (1.) promissionibus, quò pertinet Protevangelium in Paradisò prædicatum, Genes. III. v. 15. (2.) prædictionibus (3.) typis & sacrificiis, in quibus Veteres omninò habuerunt Evangelium. (4.) Ex eò, quoniam peccatorum remissio, nostra cum DEO reconciliatio & regeneratio sæpè in V. T. pollicetur, hoc verò tantum ad Evangelium propriè pertinet DD].

Nec obstat, quòd Evangelium dicitur *mysterium æternis temporibus tacitum* Rom. XVI. v. 25. Id enim secundum quid intelligendum. Vocatur nempe *mysterium tacitum & absconditum* (1.) *ratione cognitionis*, cum salutaris hæc doctrina non sit naturâ nobis nota, sed à Filio DEI, qui in sinu Patris est, nobis enarrata Joh. I. v. 18. (2.) *ratione distinctæ, specialis & manifestioris patefactionis*. Patrum enim notitia valdè fuit tenuis & obscura, quippe involucris typorum & sacrificiorum recta, nostra autem hodiè multò illustrior Jerem. XXXI. v. 34. (3.) *ratione actualis & solemnis pro nulgationis* inter omnes gentes, quæ dilata fuit usqve ad tempora Novi Test. Posset præterea etiam illud, quòd dicitur Evangelium *mysterium absconditum*, accipi *ratione certi objecti*, quòd gentilibus illud non fuerit manifestatum; vel huc referri distinctio inter *εὐαγγελίαν*, promissionem de Christo venturo atqve exhibendò, & *εὐαγγέλιον* specificè sic dictum, hoc est, publicum de Christo jam exhibito, præconium, ut nomen Evangelii usurpatur Marc. I. v. 1., possetqve dici, Evangelium in Rom. alleg. loco intelligendum esse specificè tale. Quod verò absolutè ac simpliciter doctrina Evangelii de gratiâ DEI, peccatorum remissione, iustitiâ & Vitâ æternâ non fuerit tacita, patet tum ex antea dictis, tum ex verbis disertè additis v. 26. Rom. cit. *patefactum nunc per Scripturas Prophetarum; quæ verba Calixtus*, ut in contrarium sensum detorqueat dictum Apostoli, more τῆς πονηρῆς illius Matth. IV. *omisit*, ut loquitur Magnificus Da. D. Præses γγ].

DD.] De acceptione vocis Evangelii vide pluribus B. FEUERBORN. Opp. Theol. Fascic. VI. Disput. II. §. 61. p. 917.

E 2

B. WAL.

B. WALTHER. *Harmon. Bibl. in Rom. l. v. 2. p. 1032.*
 B. DIETERIC. *Instit. Catech. de Evangelio quest. 3. p. m.*
284. B. KROMAYER. *Theolog. Posit. Polem. Artic. XI.*
Antib. tb. XIII. p. 673. כב.] Vid. B. FEUERBORN. *l. c.*
p. 918. & Fascic. V. Disp. 1. §. 6. p. 732. item Syntagm. II. Disp.
4. §. 24. p. 1495. דד.] Conf. B. BALDUIN. *Comment. in*
Rom. cap. XVI. Quest. 1. p. m. 270. seq. B. FEUERBORN.
ll. cc. B. WALTHER. l. c. p. 1098. adde B. DIETERIC.
l. c. p. m. 286. יי.] *Harmon. Calixt. Hæret. Cap. IX. §. XVI.*
p. 1099. Conf. & de loco Rom. XVI. B. GERHARD. Tom.
nt. Cap. II §. 32. p. m. 780. B. BALDUINUS, B. WAL-
THERUS ll. cc. & Magnif. Dn. D. Præses Bibl. Illustr.
Tom. II. Comment. in cap. XVI. Rom. p. 247. a. Adde D.
CUNDISII Observ. ad Comp. Hutteri Loc. XI. Quest. II.
§. 2. p. 714. seqq.

XVI.

XVI. *Ex eo, quod Apostolus Paulus Legem appellat in se spe-*
ctatam Præceptum eis Ϟων ad vitam Rom. VII. v. 10. Repertum est,
inquit, mandatum, quod institutum erat ad vitam, mihi cedere ad
mortem [non Legis, sed naturæ meæ depravatæ vitiō] Argu-
gumentamur hunc in modum:

Quod præceptum ita datum est ad vitam, ut transgressori
 comminetur mortem, illud observantibus promittit Vitam æter-
 nam. Atqui de præceptō Legis Mosaicæ verum est illud. Ergo
 & hoc כב.]

כב.] *Conf. de hoc loco & argumento B. BALDUIN. Comment.*
in Epist. ad Rom. Aphor. 7. ex poster. part. cap. VII. p. m. 138.
Magnif. Dn. D. P. R. ÆSES Bibl. Illustr. Tom. II. Annot. in
b. l. p. 121. a. Magnif. Dn. D. SCHERZER, Colleg. Anti-
Socin. Disp. 38. p. 319.

XVII.

XVII. *Ex Aphorismo Apostoli Pauli, qui habetur Rom.*
XV. v. 4. Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscri-
pta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem ha-
beamus. Quò tūm exemplum Christi etiam prout in V. T. factum
nobis inservire, omnemq; Christi actionem nostram esse institu-
tionem docet, tum Scripturam V. T. non inutilem esse nobis in
Nov. Test., nec solūm ob homines Vet. Test., sed etiam ad no-
stram doctrinam scriptam esse, commonefacit, adeoq;ve
Canonem

Canonem Veteris Testamenti fidelibus in N. Testam. commendat, ob quadruplicem imprimis usum; quod videlicet faciat 1.) ad doctrinam nostram, sive ad informationem in fide & vitâ nostrâ; 2.) ad patientiam in adversis, quæ fluit ex rectâ institutione; 3.) ad consolationem, quæ oritur ex patientiâ, cui etiam postponitur; 4.) ad spem Vitæ æternæ, quam gignunt patientia & consolatio ex Scripturis hausta. Jam argumentamur:

Cujuscunque spem habemus ex Veteri Testamento, ejus promissio Eidem non est deroganda.

Atqui Vitæ æternæ spem habemus nos fideles in N. Testam. ex Veteri Testamento.

E. Ejusdem Vitæ promissio Veteri T. non est deroganda.

Majoris connexio ex superius allatis patescit, quia nempe spes sine promissione est nulla (yy). Minorem probant verba Apostoli allegata. Ergo stabit Conclusio.

yy.) *De loco Rom. cit., ut & argumentò exinde à promptò confer*
B. BALDUIN. *Comment. in b. l. p. m. 253. Magnif. Dn.*
D. PRÆSES *Annot. in b. l. Tom. II. Bibl. Illustr. pag. 234. 4.*
& *Magnif. Dn. D. SCHERZER. loc. proximè alleg.*

XVIII, *Ex Vitâ æternâ in Novo Testamento per Christum* XVIII
promissâ. Argumentamur:

Si Vita æterna in Novo Testamento fuit promissa per Christum, utique sequitur etiam eam in Veteri Testamento fidelibus fuisse promissam.

Sed Antecedens est. Ergò & Consequens.

Majoris consecutio facile probatur: quia *Christus Jesus* [nequæquam Metonymicè pro doctrinâ Christi positus, ut vult Schmalzius] *ὁ αὐτός idem* (h. e. semper sui similis, invariabilis, immutabilis) *est heri & hodiè, & in secula.* Hebr. XIII. v. 8. ac Paulus in Novo Testamento *nihil docuit extra ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse & Moses Act. XXVI. v. 22. pp.)* De Minori ne quidem Adversarii ambigunt.

pp.) *Vid. B. GERHARD. loc. alleg. p. 780. B. BALDUIN.*
Comment. in b. l. p. m. 1648. & p. 1651. Aphor. III. B. GLASSIUS
Gram. S. Lib. III. Tract. II. Can. IV. p. 181. & Rhetor. S.

XIX.

XIX. *Ab absurdis ex denegatis Veteri Testamento promissionibus Vitæ æternæ consequentibus. Nam si Patres sive pii V. T. non accepissent Vitæ æternæ promissionem, nec quicquam cognovissent de Vitâ æternâ, vixissent per totam Vitæ suæ tempus in crassissimâ finis, ad quem homo conditus, ac per Messiam redimendus erat, ignorantia, nec pensi habuissent media ad finem illum ducentia, sed iustar brutorum mortui, ac fortuito per accidens & præter intentionem fuissent salvati: destituti fuissent verâ spe & efficaci solatiô, quô in agone mortis se sustentare potuissent; imò etiam verâ fide, cum fides & promissio indissolubiler cohæreant, ceu jamjam supra observatum, absque quâ nemo placere DEO potest Hebr. XI. v. 6.: pii item fuissent deterioris conditionis, quàm impij, quippe qui præ reliquis in hac vitâ florent fortunis, indulgent genio, præditi honoribus & opibus in mundo, quæ omnia absurda esse quivis videt 77).*

77.) *Conf. B. GERHARD. l. c. p. 778. & 780. B. MEISNER. Confid. Theol. Photin. Cap. V. p. 800.*

XX.

XX. His denique addi posset argumentum desumptum ex illis testimoniis Scripturæ, quæ loquuntur partim de immortalitate animæ, & beato animarum piarum post mortem statu, sicut admodum illustre extat Ecclesiast. XII. v. 7. partim de extremo judicio, cujus ibidem fit mentio v. 14. Nam si Patres in V. Testam. sciverunt, animam esse immortalem, beatumq; animarum piarum post mortem statum, judicium itidem Catholicum, utique ipsis non fuit incognita vita æterna, & futuri status seculiq; certitudo. Immortalitas quippe animæ, & beatus post mortem status omninò arguunt superesse Vitam aliam post exactum vitæ hujus cursum, & judicii extremi finis erit, ut quilibet (fructum & mercedem operum suorum, quæ per corpus gessit, reportet 77). Sed prius patet ex locis allegatis. Ergo.

77.) *Conf. B. GERHARD. l. c. p. 778. & B. MEISNER. l. c. p. 801.*

III. A9-

Hæc, ut jamjam ex supra dictis patet, Photinianorum, Arminianorum, Grotii, D. Georgii Calixti Ejusq; aſſeclarum eſt. Hi enim, quod hætenus demonſtratum dedimus, ſimpliciter negant. Soci- nus in lib. quod Evang. ſe Photinianis conjungere debeant, p. 63. *Credunt Evangelicorum Miniſtri, vitam æternam non primùm ac de- mum in Novo fœdere, ſed antea quoq; in Veteri fuiſſe promiſſam, & ex ipſo DEI promiſſo à fidelibus ejus temporis expectatam, quò vix quidquam inveniri poteſt divinis testimoniis & oraculis magis con- trarium.* Similia habet Schmalzius Diſp. VII. contra Franzium p. 220. qui ex eò, inquit, quòd Chriſtus eſt Mediator fœderis melioris, colligimus, *Vitam æternam ante Chriſtum memini fuiſſe promiſſam &c.* Conf. eundem de divinit. Chriſti cap. 7. pag. 25. ſeqq. ubi totus in eo eſt, ut Vitæ æternæ promiſſa Novi Teſt. propria eſſe probet. Videri quoque de eadem re poteſt Oſtorodus Inſtit. Germ. cap. V. fol. 36. It. Catech. Racov. de Proph. Chr. munere c. V. q. 3. &c. Ex Arminianis vide *Episcopium*, Theologiæ quondam in Academia Leidenſi Profeſſorem, Oper. Theol. Lib. III. Sect. IV. cap. I. de Pro- miſſis Fœderis Moſaici fol. 155. ubi *ſpecialia*, inquit, *promiſſa Fœ- deris (Moſaici) obſervatoribus facta, & Fœderi quaſi ſigilla appenſa, ea omnia non continent niſi bona terrena, tum ad eſſe tum ad bene eſſe vitæ hujus præſentis pertinentia; quæ his duobus comprehendendi po- ſunt; 1. Fixâ ſede ſeu Patria, templò ac Republicâ: eâq; foris tutâ ab hoſtibus, intus redundante omnium bonorum copiâ, pace, quiete, & victoriis illuſtribus. 2. Valetudine bonâ & firmâ &c.* & fol. 156. *Si ſpeciales*, ait, *promiſſiones in Fœdere ipſò veteri expreſſæ videan- tur, fatendum eſt, nullam vitæ æternæ promiſſionem diſertam in illis reperiri.* Idem tamen ibidem profitetur fœdere Moſaicò & Veteri Teſtamentò generalia promiſſa de bonis vel benedictionibus conti- neri; nec non *typica promiſſa*; quæ, *typorum inſtar ac figurarum ſive umbrarum, rude atq; obſcurum aliquod bonorum cœleſtium lineamen- tum habuerint, quæ temporibus Novi Teſtamenti perfectiſſimè revela- ta & annunciata ſint.* Grotius Annot. ad Hebr. cap. VIII. v. 6. *Sunt autem*, dicit, *promiſſa (ſc. N. T.) meliora, quia credentibus promit- titur juſtitia non externa, ſed interna, venia non ab erroribus, ſed à peccatis quibusvis antecedentibus, Spiritus dona non paucis, ut ſub le-*

ge, sed omnibus, & vita non terrestris, & temporaria, sed cœlestis & aeterna. Videatur idem Annot. ad Rom. cap. II. v. 6. ad Ephes. II. v. 12. & alibi. Calixtus conferri potest Tractatu de Pactis th. LXXIX. ubi promissa pacti Mosaici cum *Arminianis* & *Socinianis* explicat, quod scilicet solummodò promissa habuerit temporalia. Pactum, dicit thesi allegatâ, Mosaicum secundum se non concernit aliud, quàm eminentiam & prosperitatem illius populi, sive terram promissam gloriosè occupandam, & feliciter possidendam. Unde etiam Eorundem more & ausu pervertit Thef. XCI. dictum Apostolicum Hebr. VIII. v. 6. quod *Christus Mediator sit præstantioris pacti, quod præstantioribus promissis, non terrenis scilicet, sed cœlestibus & spiritualibus promissis sancitum est.* Vide quoque ejusdem *Filium* scriptò novissimò, *Discussio- nis nebulæ*, p. 28. Hæc de Antithesi. Sequitur

Pars IV.

IV. Διάλυσις

sive

Resolutio objectionum adverse partis.

Varia autem habent Adversarii, inprimis Sociniani, quæ ob-
jicere solent, præcipua tantùm commemorabimus. Et quidem

Objeçtio I.

Objiciunt I. *Nostram sententiam esse ἀγενεσθον, cum in Veteri Testamento Vitæ aeternæ à DEO hominibus ipsiq; populo suo promissæ pro eo tempore, quod Christi adventum præcessit, nulla prorsus fiat aperta mentio, nec locus possit afferri ex Veteri Testamento, ubi promissio vitæ aeternæ disertæ extet, taliaq; verba, vel eis similia habeantur, qualia ferè infinitis in locis N. T. reperiuntur. Conf. præcipuè Smalz. c. Franz. loc. ante cit. Episcopius loc. itidem alleg. &c. Nos*

R. Contrarium ostendunt ea, quæ modò ex Veteri Test. pro-
duximus; & vel locus Danielis cap. XII. v. 2., ubi vita aeterna ex-
pressis verbis nominatur, sufficeret.

II.

Obj. II. *Ex S. Literis locum Hebr. VIII. v. 6. ubi apertissimè com-
memoratur & inculcatur, novum fœdus in melioribus promissionibus,
quàm Vetus, fuisse sancitum. Ex quo colligunt, ante Christum in V. T.
promissionem Vitæ aeternæ omninò nullam fuisse. Conf. Socinus Lib.
Quod Regni c. VII. Smalzius de divin. J. C. c. VII. p. 26. Disp. VII. c.
Franz. p. 220. Osterod. Instit. German. cap. V. p. 37. &c.*

R. I.) Præstantia promissorum non substantialis, sed circum-
stantialis hæc intelligitur. Vitæ enim aeternæ promissiones ostendi-

mus

mus ante ex Veteri Testamento, adeoq; eadem promissorum spiritualium materia ac substantia in utroque Testamento fuit.

R. 2.) ex Observ. XII.; promissiones N. Test. dicuntur meliores, quia promissiones V. T. fuere legales, Novi verò gratuita; Veteris typis ac umbris involuta, Novi verò clarè absque tali involucro sunt proposita &c. Non autem exindè sequitur, in V. T. nullas Vitæ æternæ promissiones fuisse a.)

a.) Vid. de loco Hebr. pluribus, præter Autores Observ. cit. allegatos, Magnif. Dn. D. SCHERZER. Colleg. Anti. Socin. Diss. XLIV. Object. XVI. p. 361.

Obj. III. Vitam æternam per Christum à DEO promissam fuisse, & per Ejus Evangelium hominibus patefactam 1. Joh. I. v. 2. 2. Tim. I. v. 10. Ergò Vita æterna in V. T. non fuit promissa atq; revelata. III.

R. 1.) ex Observ. V.; concedimus nos Vitam æternam per Christum in N. T. promissam esse, sed negamus indè sequi, Eam in V. T. prorsus non fuisse cognitam, nec promissam. 2.) Potius sequitur ex promissâ per Christum in N. Test. Vitâ æternâ in V. Test. quoq; eandem fuisse revelatam atq; promissam, prout ex eò mediò terminò in *καταθήσεις* num. XVIII. probavimus nostram sententiam. 3.) 1. Joh. I. v. 2. per *ζωὴν τὴν αἰώνιον* non status piorum post hanc vitam, sed persona, Christus nempe æternæ Vitæ autor intelligitur. Id quod patet tum ex collatione aliorum locorum Joh. XI. v. 25. c. XIV. v. 6. cum primis 1. Joh. V. v. 20., ubi expressè Filius DEI vocatur Vita æterna; tum ex contextu, quia de illâ vitâ sermo est, quæ fuit *ἀπὸ δεξιῆς*, quam Johannes appellat *λόγον πρὸς τὸν Θεόν* v. 1., quam viderunt Apostoli & contrectarunt, quæ fuit apud Patrem v. 2. β.) Jam in præsentī controversiâ quæstio est de Vitâ æternâ acceptâ pro statu, non pro personâ Christi, uti superiùs Observ. IIX. notavimus. Impertinenter igitur hic locus allegatur. 4.) Ex 2. Tim. I. v. 10. omnimoda promissionum Vitæ æternæ in V. T. absentia minimè probatur. Etenim Paulus Christo tribuit *τὸ φωτίζειν ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τὸ εὐαγγέλιον*. Est autem *φωτίζειν* idem, quod illuminare, in apertiores & clariorem lucem proferre, quasi allatò lumine patefacere atq; ostendere. Jam verò gradus lucis majoris non variat rem ipsam, sed eadem manet Vitæ æternæ promissio in V. & N. T., quamvis in Novò major claritas accesserit.

F

in

in Veteri autem involucris promissionum de terrâ Canaan ea fuerit involuta. Non verò per Evangelium illuminata vel in lucem producta dicitur, quòd antea in Veteri Testamento solùm umbræ & conjecturæ Vitæ incorruptibilis fuerant, nulla autem promissio: sed quòd æterna Vita, prout eadem reparata est ac restituta per Christum, postquam amissa erat per Adamum 1. Cor. XV. v. 22. Rom. V. v. 18. jam innotuerit γ).

β). Conf. B. GERHARD. Tom. ult. Cap. II. § 32. p. m. 781. B. MEISNER. Confid. Theol. Phot. Art. 7. c. V. p. 802. seq. & Magnif. Dn. D. PRÆSES Bibl. Illustr. Annot. in b. l. p. 1586. a. γ). Vid. ll. cc. B. GERHARD. B. MEISNER. & Dn. D. PRÆSES p. 1006.

IV.

Obj. IV. *Non esse putandum, non semper sperasse vitam æternam & cupivisse, nec habituros illam Vitam eos, qui fideles ante Christi adventum fuerint, quamvis illis non fuerit à DEO promissa. Nihil enim impedire, quòd minùs DEUS multò plus det, quàm promisit. Socin. Lib. Quod Evang. se Photinianis conjungere debeant p. 64. Smalz. c. Franz. Disp. VII. p. 220. 223. & 224. Lib. de divo. J. C. cap. VII. p. 27.*

℞. 1.) Probandum est, fidem, spem atque studium adeptio- nis absque Vitæ æternæ revelatione & promissione potuisse locum habere in fidelibus Veteris Testamenti; contrarium evictum est in κατὰ θεοὺς num. IV. in probatione propos. majoris argu- menti. 2.) Probandum, quòd Vitam æternam dederit DEUS fi- delibus V. T. sine præviâ revelatione & promissione, - non nudè asserendum. 3.) Fundamenta in Confirmatione sententiæ Ortho- doxæ allata ostendunt, non absque promissione in Verbo revela- tâ ex ignoratâ penitus & insperatâ DEI gratiâ Vitam æternam cre- dentibus sub tempore Veteris Testamenti obtigisse, sed promissio- nem beatitudinis in Verbo omninò ipsis fuisse propositam.

V.

Obj. V. *Estentur Judæi hodiè omnes, qui Legis non possunt esse non peritissimi, & ejusdem observantissimi, quiq; ad ostentandam Legem hoc non fuissent prætermisuri, vitæ æternæ promissionem in Lege non extare. Smalz. c. VII. de Divin. J. C. p. 25.*

℞. Falsum est, quòd dicit Smalzius. Contrarium enim tum ipse Socinus, locò supra in Responsione ad exceptionem ad argu- men-

mentum ex Joh. V. desumptum allegatō, tum Commentatores Rab-
bini testantur d).

d) *Conf. Magnif. D. D. SCHERZER. Colleg. Anti-Socin. Diss. XXXVIII. p. 318. & Diss. XLIV. p. 366. seq. ubi & plura, quæ obijcere solent Sociniani, accuratè & solidè soluta atq; discussa videri possunt.*

Obj. VI. *Si in Pacto Mosaico Vita eterna perpendisset ab ob- VI.*
servatione Legis, suspensa fuisset à conditione impossibili: Constat
enim, post lapsum neminem posse Legem DEI perfectè implere: Frustra-
nea itaq; fuisset tota illa promissio. Calixtus junior, novissimò scriptò
Discussionis nebulæ p. 28.

R. ex Observ. XV. 1.) Fuit quidem illa conditio impossi-
bilis, & adhuc hodiè est, non tamen fuit semper & simpliciter im-
possibilis: 2.) Licet post lapsum nemo implere possit Legem, im-
plevit tamen vice nostrâ Legem Filius DEI, in quem credendò in
nobis quoque eadem impletur. 3.) R. negandò totam illam pro-
missionem propterea fuisse frustraneam, quandoquidem condi-
tio illa legalis etsi impossibilis, non tamen inutiliter in V. T. fuit
proposita. Tandem idem Calixtus

Objicit VII. *B. Lutherum à suâ parte stare, dum Tom. III. VII*
Lat. Jen. de Captiv. Babylonicâ p. 265. dicat: Vetus Testamentum,
per Mosen datum, erat promissio non remissionis peccatorum, seu ater-
narum rerum, sed temporalium, nempe terræ Canaan, per quam ne-
mo renovabatur Spiritu, ad hæreditatem cælestem capeffendam.

R. 1.) Argumentum hoc esse ab autoritate humanâ peti-
tum, qualia valdè esse infirma nemini est obscurum. 2.) Sese ex-
ponere Megalandrum his verbis: *per quam nemo renovabatur Spi-*
ritu, ad hæreditatem cælestem capeffendam. Quibus satis clarè edo-
cet, verba hæc sua non absolutè, sed secundum quid esse intelligen-
da. Nimirum negat ille pactum Mosaicum habere promissionem
æternarum rerum, per quam Patres Veteris Test. hæreditatem cæ-
lestem actu consecuti fuissent, quod etiam nos negare, nec hic lo-
ci in controversiam venire supra Observ. XI. diximus e).

e.) *Conf. Scriptum Observ. cit. allegatum.*

S. D. G.

PRÆ-

PRÆEXIMIO ATQVE ERUDITISSIMO
DN. M. JOH. JACOBO CRAMERO, LIPSIENSI,
AMICO DILECTO,
DE PROMISSIS, ET PACTIS EVANGELICIS V.T.
PUBLICE DISPUTANTI
GRATULABATUR

ABRAHAM CALOVIUS, D.

Numinis æternis solùm confidere summi
Promissis poterat Nostra quieta fides.
De cælis igitur DEUS ipse loqvutus in orbe est,
Vitam promittens Fœdere salvificò.
Omnibus hoc ævis à primi criminis ortu,
Tradidit IPSE ΛΟΓΟΣ, sancta ΣΟΦΙΑ PATRIS.
Sciret ut omnis homo, quæ sit suprema voluntas
Numinis, ac posset scita tenere fide.
Talia de Priscis quisquis negat, ille salutem
Antiqvis pariter denegat, atqve polum
Namqve ubi nulla DEI promissio cœlica, nulla
Fœdere firmata est, spem quoqve nullus habet.
Nulla salus superat mortali, credito, genti:
Quam non sancivit Fœdere Cunctipotens.
Necitur hoc solò, quia destina firma salutis
Et fidei, atq; spei cœlitus hæcce data est.
Id, CRAMERE, doces, SOCINOS, ARMINIOSQVE,
Cum CALIXTINIS, Flamme conficiens.
Præmia jam studiis promittit Patria grata,
Promissis istis sit Tibi certa fides.
Tramite, Tu porro, modò justò, perge; manebit
Gloria TE, quondam præmia certa dabit!

Qvor du / Werther Freund / ziehst wieder weg von hinnen/
Auf unsern Pleiß-Athen; zeigst du heut jedermann/
Wie rühmlich du alhier die Zeit gelegest an;
Ich wünsche tausendmahl viel Glück zu dem Beginnen.
Seinem vielgeliebten Herrn Landsmann/ und sehr vertrau-
ten Freunde schriebs in eyl

M. J. B. J.

☞:(o):☞

Coll. d. H. 154, 18